24




MONOGRAPHIA CURCULIONUM SVECIÆ

A

GUSTAVO DE PAYKULL,

REG. ACAD. SCIENT. STOCKH. ET SOC. HIST. NAT. PARIS. MEMBRO.





UPSALIÆ,

LITT. VIDUÆ DIRECT. JOH. EDMAN, MDCCXCII.

1792.

LECTORI.

In lucem jam prodit Monographia generis, quod inter reliqua Coleoptera Sveciæ numero ſpecierum eminet. Si Entomologorum Deſcriptiones ſpectaveris, multa ſane in illis deſiderari, ſi tractandi Methodum, plurimas habere difficultates, deprehendes. Nimia ſpecierum affinitas, earumque, qua magnam partem, exiguitas, colorum fallacia, inſolensque labor, quo diſtinctos omnium characteres condere primus tentavi, remoras mihi objecere majores quam in opere aggrediendo mox apparuere; nec niſi poſt juſta illius ponderamina inſtituta hasce deſcriptiones prelo maturas esſe ſperavi.

Niſi Cel. Profesſor Bonsdorff me certiorem fecisſet quod *Hiſtoriæ Naturalis Curculionum Sveciæ*, quam pluribus abhinc annis in Disſertationibus Academicis *) fuerat exorſus, præ temporis anguſtia ſibi esſet interdicta continuatio, nunquam animum applicuisſem ad opus retractandum, quod ſollertisſima manu elaboratum erat. Aperuit mihi jam dudum locum hujus incliti Viri in rem Entomologicam merita commemorandi, de *Staphylinis* opusculum, inque eandem materiam me revocat hæc

*) Pars I et II editæ Upſaliæ Ann. 1785.

Monographia. Deſcriptiones percelebris Auctoris ſumma accuratione perluſtratas, qua maximam partem egregias perſpexi. Si Muſeum, pluribus locupletatum cujusvis ſpeciei individuis, majorque opportunitas nonnulla addendi atque emendandi mihi præbuerint copiam, non dubito quin ſupra laudatus Vir, ſi meis functurus eſſet partibus, adhuc magis hancce Monographiam curioſis amplificatam obſervationibus illuſtrare potuisſet. Etenim ex tali perveſtigatione certum in ſcientiam redundat emolumentum.

Curculiones ſi reſpicimus, alii inſtructi ſunt antennarum primo articulo reliquis fere æquali, alii omnibus articulis ſubæqualibus. Hinc illos mox diviſi in duas familias primarias; porro quorundam roſtrum thoracem vel excedit, vel æquat, vel illo brevius eſt; alii femora dentata habent, alii mutica, alii elytra oblonga, alii ſubquadrata: ex hisce ſingulis differentiis ſubdiviſiones petii tanto magis neceſſarias, quanto plures dispartitiones exigere videbatur numeroſa ſpecierum cohors, ut in quacunque invenienda facilior evaderet labor. Hasce vero phalanges ſub eodem genere conſociare ſatius duxi, quam in plu-

ra

ra divellere. *Attelabo Coryli*, *Betulæ* atque *Curculionoidi* nemo inter *Curculiones* denegaverit locum; et quis quæſo non animadvertit hanc ultimam ſpeciem eidem parere notæ genericæ, ſub qua comprehenduntur *Curc. Bacchus et Betulæ*, ſit quamvis horum longius roſtrum. Propterea Ill. DE GEERII ſequor ſententiam, qui in eodem genere hisce concedit locum. *Bruchus* vero *Scabroſus* et *Varius* ſpeciem *Curc. Latiroſtris* et *Planiroſtris* exacte referunt: fortasſis tamen hi et nonnulli alii, quibus antennæ ſunt rectæ et roſtrum ſupra infraque planum, in proprium genus, quod Cel. FABRICIUS et GEOFFROY *Antribi* nomine deſignarunt, amandari poterunt. Veritus autem ne hisce diſtinguendis non ſufficerent characteres, ſub eodem genere etiamnunc ipſos indivulſos ſervavi.

Gratias, quas debeo Amicis, tum in patria cum exteris terris, quibus ſuo quisque modo ad hanc Monographiam et priores perficiendas conferre placuit, jam perſolvam: quorum numero in primis nominare liceat Dom. GYLLENHAL, OSBECK, HEDENBERG, QUENSEL, TÖRNER, LILJEBLAD et HAST, qui ſinguli Entomologiæ ſtudio ardentes, partim mihi novas, aut antea minus bene

 de-

determinatas præstiterunt species, partim, factis super iisdem observationibus, auxiliares mihi porrexere manus, ut emendatiores hasce opellas exhibere potuerim. Sic Dom. GYLLENHAL alata *Carabi Rotundati* et *Humeralis* specimina observavit, parique modo Dom. TÖRNER tam sæpe *Carabum Ambiguum* apterum, quam alatum animadvertit, atque hos ipsos meis subjecere oculis. Edita jam typis Monographia Caraborum mihi persuasere hæc documenta, ut talibus, a communi lege exceptionibus, interdum obnoxium quoque esset Carabi genus; neque ad hanc observationem, cum aliis communicandam, qua, tamquam nova scientiæ Entomologicæ luce lætus sum, tardus progredior: potissimum cum accidere posset, ut aliquis mea, in insectis cognoscendis atque describendis tenui experientia nimium fretus, in errores proclivis, ad arma adversa veritati ferenda perduceretur.

In exterorum Amicorum numero speciatim gratus recordor Cel. Acad. Kiloniensis Professorem FABRICIUM, et Acad. Pisanæ Cel. ROSSIUM, quorum ille plurium specierum dubiarum synonymis me instruxit, hic plurimis rarioribus insectis, benevole mecum communicatis, ambiguas melius examinandi species, notasque, quibus

bus ab affinibus, extra patriam ſæpe obviis, diſtinguantur, detegendi occaſionem mihi paravit. Ob hancce quidem mihi præſtitam amicitiam, Viro Meritisſimo me haud vulgariter obſtrictum perſentio, meretur vero communem cunctorum Naturæ Scrutatorum obſervantiam, utpote qui primus in ſua patria felicem indefesſamque Entomologiæ navavit operam, editaque FAUNA ETRUSCA jucundisſimam hanc ſcientiam e cunis usque educatam in florentiorem ætatem ſemel ſimulque provexit. Paucos eruditorum novi, qui cum tantis meritis tantam conjunxerint modeſtiam, tam exiguam propriorum luminum fiduciam; Virum loquor, ex quo maximam concipere ſpem oportet Naturæ Scientiam.

Dab. in Prædio Walloxſäby prope Upſaliam die 19 Dec. 1791.

CURCULIO.

Rostrum corneum, prominens.

Antennæ roſtro inſidentes, extrorſum craſſiores.

Tarsi omnes quadriarticulati: articulo tertio bilobo.



FAMILIA PRIMA

Antennis geniculatis.

SECTIO PRIMA:

Longiroſtres femoribus dentatis *).

PHALANX PRIMA: Oblongi **).

N:o 1.

CURCULIO Germanus.

Apterus niger, elytris connatis thoraceque villis flaveſcentibus punctatim faſciculatis, femoribus ſubdentatis.

Descriptio.

Caput nigrum: *roſtrum* craſſiuſculum thoracis longitudine; *antennæ* capite longiores,

A ante

*) *Curculiones pauciſſimos femoribus jam muticis jam dentatis in eadem ſpecie variantes vidi, eaque differentia ſemper annotata ad phalangem femoribus dentatis præditam, retuli.*

**) *Ad oblongos omnes refero, qui elytris latitudine baſeos longioribus gaudent.*

ante medium fractæ, apice clavatæ, fuscescentes; *oculi* immerſi. THORAX niger, punctatus, convexus, villis flaveſcentibus, præſertim antice poſticeque ſparſis, maculisque utrinque duabus lateralibus. SCUTELLUM minutisſimum. ELYTRA arcte connata, thorace duplo latiora et plus duplo longiora, valde convexa, ſubtilisſime rugoſa, ſtriis nullis longitudinalibus, villis flaveſcentibus hinc illinc punctatim ſparſis. STERNUM et ABDOMEN nigra, villis flaveſcentibus paucioribus. PEDES nigri: *femora* ſubdentata. MAGNITUDO: Curc. Arctico excepto, inter noſtrates maximus.

LOCUS: habitat in Svecia auſtrali rarior, in Germania magis frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 107. N:o 119. Curc. Germanus.*

LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 612. N:o 58. Curc. Germanus.*
SCHÆFF. *Icon. t. Cl. f. VI.*

OBS. Faſciculi flaveſcentes interdum deteruntur ut magis niger evadat.

N:o II.

CURCULIO ABIETIS.

Niger villis flaveſcentibus, elytris punctato-ſtriatis, faſciis villis longioribus linearibus interruptis; femoribus acute dentatis.

DESCR. CAPUT nigrum villis tenuisſimis flaveſcentibus; *roſtrum* crasſiusculum, longitu-

gitudine thoracis, apice incrassatum; *antennæ* longitudine capitis; *oculi* immersi. THORAX subrugosus, convexus, niger, villis brevioribus flavescentibus, supra paucioribus, antice angustatus. SCUTELLUM minutum. ELYTRA thorace haud duplo latiora sed plus duplo longiora, subrugosa, punctis elongatis impressis longitudinaliter striata, callo postico, nigra, villis brevissimis flavescentibus undique adspersa, fasciis linearibus irregularibus interruptis, punctisque aliquot apicis villis paulo longioribus. ALÆ amplæ, fuscæ, elytris duplo longiores. STERNUM et ABDOMEN nigra, villis brevissimis flavescentibus. PEDES nigri, villis brevissimis. MAGNITUDO variat: majores longitudine fere sed non latitudine sunt præcedentis; minores vix dimidiam ejus magnitudinem attingunt.

LOCUS: habitat in pinis frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Ins. p. 106. N:o 107. Curc. Abietis.*

LINN. *Syst. Nat. 11. p. 613. N:o 57. Curc. Abietis.*

DE GEER *Ins. 5. p. 204. N:o 1. Curc. Abietis.*

SCHÆFF. *Icon. Ins. t. 25. f. 1.*

OBS. Villi flavescentes sæpe deteruntur.

N:o III.

CURCULIO CURSOR.

Villosus subcylindricus rufescens, rostro filiformi longiore incurvato nigro, sterno, thoracis dorso maculisque elytrorum sparsis fuscis, pedibus anticis elongatis.

DESCR. CAPUT minutum, rufescens villis griseis: *rostrum* dupla capitis thoracisque

 lon-

longitudine, nigrum, glabrum, filiforme tenue, incurvatum; *antennæ* roſtro fere longiores, tenuisſimæ, rufeſcentes, claviculo nigro; *oculi* immerſi nigri. THORAX rufeſcens, villis griſeis, dorſo fuſceſcente, in medio longitudine latior et fere elytrorum latitudine, antice poſticeque ſubanguſtatus. ELYTRA ſubcylindrica, convexa, punctato-ſtriata, latitudine vix duplo longiora, rufeſcentia, villis griſeis. punctis maculisque irregularibus fuſcis. ALÆ albo-hyalinæ. STERNUM fuſcum. ABDOMEN baſi fuſcum, apice rufeſcente. PEDES rufo-fuſceſcentes, anteriores longiores: *femora* denticulata. MAGNITUDO Curc. Pini æquiparat.

LOCUS: habitat in Svecia auſtrali rarius; e Germania mihi a Dom. SCHNEJDER misſus.

OBS. Differt a ſequenti magnitudine majori et pedibus anticis longioribus.

N:o IV.

CURCULIO TREMULÆ.

Rufus villis griſeis, roſtro filiformi, curvato, longiore, thorace antice capiteque nigricante, elytris cylindricis: maculis paucioribus fuſcis, pedibus æqualibus.

DESCR. CAPUT nigricans: *roſtrum* capite nitidius magisque nigrum, tenue, filiforme, arcuatum, thorace longius; *antennæ* roſtro longiores rufeſcentes, apice nigro; *oculi* nigri immerſi. THORAX rufus, nitidus, antice nigri-

gricans, latior longitudine, lateribus rotundatis, valde convexus. SCUTELLUM minutisſimum, glabrum. ELYTRA rufa, villis griſeis, maculisque paucioribus fuſcis, convexa, ſubcylindrica, punctato-ſtriata, poſtice utrinque unicalloſa, thorace haud multo latiora ſed plus duplo longiora. ALÆ totius corporis longitudine, amplæ, albo-hyalinæ. STERNUM et ABDOMEN rufa villis paucioribus griſeis. PEDES ruſi longitudine æquali: *femora* denticulata. MAGNITUDO Curc. tortricem æquiparat.

LOCUS: habitat in foliis populi tremulæ Uplandiæ. Ipſe; in Scania. Dom. QUENSEL.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 109. N:o 147. Curc. Tremulæ.*

VAR. β.

Obſcure rufus villis griſeis, capite nigro, thorace lineis tribus longitudinalibus glabrioribus, elytris fusco-variegatis.

LOCUS: habitat frequens cum præcedente, qui paulo minor, in Uplandia. Ipſe; in Lapponia. Dom. QUENSEL.

OBS. Simillimus omnino præcedenti ſed roſtro paulo craſſiore.

VAR. γ.

Minutus, obſcure rufus, fusco-variegatus, villis denſis griſeis; thorace lineis tribus glabrioribus.

LOCUS: habitat in Lapponiæ ſalicibus cum var. β, cui magnitudine dimidio minori et villis denſioribus exceptis, omnino ſimillimus. Dom. QUENSEL.

N:o V.

CURCULIO Tæniatus.

Glaber, elytris teſtaceis, maculis punctisque nigris.

Descr. Caput nigricans: *roſtrum* thorace vix duplo longius, filiforme, curvatum; *antennæ* baſi ſubferrugineæ, apice craſſiores, nigræ; *oculi* immerſi. Thorax fuſceſcens, ſæpius antice poſticeque ferrugineus, convexus, antice transverſe impreſſus. Scutellum nullum. Elytra teſtacea, punctis maculisque difformibus nigris punctato ſtriata, cylindrica; thorace vix latiora, plus duplo longiora, poſtice calloſa. Alæ albo-hyalinæ corpore longiores. Sternum et Abdomen fuſca. Pedes teſtacei, rarius ferruginei: *femora* incraſſata, denticulata. Magnitudo var. β præcedentis æquiparat.

Locus: habitat in inſula Muſkôn Sudermanniæ. Dom. Hedenberg; in Bothnia orientali. Dom. Hast; in Europa auſtrali magis frequens.

SYNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 109. N:o 148. Curc. Tæniatus.*

Obs. Microſcopio compoſito pili brevisſimi rariores obſervantur ſed ob exiguitatem colorem non mutant, unde a Curc. Tremulæ bene diſtinguitur; differt a Curc. tortrice colore et ſtatura magis tenui, cylindrica.

N:o VI.

N:o VI.

CURCULIO Tortrix.

Testaceus glaber, sterno fusco, rostro filiformi, curvato, thorace paulo longiore; elytris convexo-subcylindricis puncta-to-striatis.

Descr. Caput testaceum, glabrum: *rostrum* summo apice nigro; *antennæ* capitis longitudine, concolores; *oculi* minuti, subimmersi, nigri. Thorax testaceus, glaber, convexus, subtilissime punctatus, longitudine latior. Scutellum minutissimum, concolor. Elytra testacea, glabra, convexosubcylindrica, punctato-striata, thorace paulo latiora et plus duplo longiora, postice subcallosa. Alæ amplæ, longitudine corporis, albo-hyalinæ, nervis obscurioribus. Sternum fuscum. Abdomen testaceum. Pedes testacei: *femora* incrassata, dentata. Magnitudo: paulo major præcedenti.

Locus: habitat in populo tremula.

SYNON. Fabr. *Mant. Inf. p. 109. N:o 146.*
Linn. *Syst. Nat. 11. p. 615. N:o 67. Faun. Sv. N:o 622.*
De Geer *Inf. 5. p. 214. N:o 16. Curc. fulvus.*

Var. β.

Ferrugineus, glaber, sterno cinerascente, oculis nigris.

Locus: habitat cum præcedente, cui, colore excepto, simillimus.

SYNON. Geoffr. *Inf. p. 300. N.o 51. Le Charançon couleur de rouille.*

N:o VII.

CURCULIO Cerasi.

Ater, antennis subrectis, elytris profunde punctato-striatis, postice latioribus.

Descr. Caput nigrum, opacum: *rostrum* in altero sexu longitudine thoracis, rectum, crassiusculum, in altero paulo longius, subincurvum, tenuius; *antennæ* rostro vix longiores, subrectæ, primo tamen articulo reliquis multo longiore; *oculi* immersi. Thorax niger, opacus, subcylindricus, subtilissime punctatus postice, et in altero sexu, qui rostro crassiore gaudet, etiam antice in utroque latere spinula brevissima instructus. Scutellum minutum, concolor. Elytra nigra, subcylindrica, profunde punctato-striata, thorace paulo nitidiora, duplo longiora, antice vix latiora, postice paulo dilatata, callo minuto. Alæ amplæ, elytris duplo longiores, fuscescentes, costa baseos punctoque marginali obscurioribus. Sternum et Abdomen nigra, opaca. Pedes nigri: *femora* omnia dentata. Magnitudo variat: majores, qui thorace antice spinoso gaudent, magnitudine fere sunt Curc. pini; alter sexus, seu thorace mutico, duplo minor.

Locus: habitat in foliis cerasi.

SYNON. Fabr. *Mant. Ins. p. 108. N:o 133. Curc. Cerasi.*

Linn. *Syst. Nat. II. p. 607. N:o 11. Faun. Sv. N:o 533. Curc. Cerasi var. nostra minor, sed nullo modo femora gerit simplicia. Syst. Nat. p. 612. N:o 48. Faun. Sv. N:o 614. Curc. Carbonarius; var. nostra major, minime vero Curc. Carbonarius est* Scopoli.

Obs.

OBS: Curc. Carbonarium et Cerasi LINN. uti diversos sexus ejusdem speciei, vestigia sequendo Cel. FABRICII, conjunxi, quum spinula thoracis et magnitudine exceptis omnino similes sint et mixti occurrant.

N:o VIII.

CURCULIO VIOLACEUS.

Supra nigro-violaceus nitidus, subtus niger, antennis subrectis, elytris leviter punctato-striatis postice latioribus.

DESCR. CAPUT supra nigro-violaceum: *rostrum* nigrum thoracis longitudine, filiforme, curvatum; *antennæ* rostro paulo longiores, subrectæ, primo articulo reliquis tamen multo longiore; *oculi* immersi. THORAX subtus niger, supra nigro-violaceus, subtilissime punctatus, convexus, angulis posticis acutis. SCUTELLUM minutum, nigricans. ELYTRA violacea, subcylindrica, leviter punctato-striata, thorace nitidiora, duplo longiora, sed antice vix latiora, postice paulo dilatata, callo minuto. ALÆ amplæ, elytris duplo longiores, fuscescentes, puncto marginali venisque obscurioribus. STERNUM et ABDOMEN nigra, vix violascentia. PEDES nigri: *femora* omnia dentata. MAGNITUDO: Feminæ fere Curc. Pini, mares duplo minores sunt.

LOCUS: habitat in pinu sylvestri frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Ins. p. 108. N:o 134. Curc. Violaceus.*

LINN. *Syst. Nat. II. p. 614. N.o 63. Faun. Sv. N:o 579. Curc. Violaceus.*

DE GEER *Ins. t. 5. p. 213. N:o 5. Curc. Violaceus.*

Var. β.

Nigro-purpurascens nitidus.

Locus: habitat cum var. præcedenti, cui simillimus, sed rarissime.

Obs. Differt a Curc. Cerasi, cui statura similis, colore, habitatione, elytris levius punctato-striatis, thoraceque in altero sexu antice haud spinoso.

N:o IX.

CURCULIO Melanophthalmus.

Ferrugineus pilis brevissimis rarioribus albidis, oculis rostrique apice nigris, elytris convexioribus vix dupla thoracis longitudine.

Descr. Caput ferrugineum pilis brevissimis albidis: *rostrum* filiforme curvatum, glabrum, thorace paulo longius; *antennæ* concolores, subpilosæ, rostro longiores; *oculi* nigri immersi. Thorax ferrugineus, pilis brevissimis albidis, convexus, subcylindricus. Scutellum minutissimum, concolor. Elytra ferruginea pilis rarioribus, brevissimis albidis, punctato-striata, convexiora, thorace non multo latiora et vix duplo longiora. Sternum, Abdomen et Pedes ferruginea, pilis brevissimis albidis: *femora* omnia denticulata. Magnitudo: longitudine sed non latitudine et globositate Curc. druparum.

Locus: habitat in Svecia rarior.

Obs. Differt a Curc. Tortrice magnitudine, villositate, elytris minus cylindricis, convexioribus, ratione thoracis brevioribus.

N:o X.

CURCULIO DRUPARUM.

Rufus villis brevisſimis cineraſcentibus, elytris globoſis, faſciis duabus transverſalibus undatis glabrioribus; roſtro recto longiore, femoribus omnibus dentatis.

DESCR. CAPUT rufum villis brevisſimis cineraſcentibus: *roſtrum* glabrum, tenue, rectum, longitudine abdominis; *antennæ* medio fractæ, apice fuſceſcentes, roſtro paulo longiores; *oculi* minuti ſubgloboſi. THORAX rufus villis brevisſimis cineraſcentibus, convexus, antice parum anguſtatus. SCUTELLUM minutum, acutum, concolor. ELYTRA thorace duplo longiora et fere duplo latiora, præſertim poſtice gibba, globoſa, callo ordinario nullo, ſubtilisſime punctato-ſtriata, rufa: villis brevisſimis cineraſcentibus, faſciis duabus undulatis glabrioribus, altera in medio latiore, altera poſtica. ALÆ amplæ abdomine duplo longiores, fusco-hyalinæ, nervis maculaque coſtali obſcurioribus. STERNUM et ABDOMEN rufa, villis brevisſimis cineraſcentibus. PEDES rufi villis cineraſcentibus: *femora* antica reliquis crasſiora, omnia acute dentata. MAGNITUDO: elytra et abdomen magnitudine et globoſitate ſeminis cannabis.

LOCUS: habitat in Pruno pado frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 109. N:o 142. Curc. druparum.*

LINN.

Linn. *Syst. Nat.* 11. *p.* 614. *N:o* 62. *Faun. Sv. N:o* 617. *Curc. Druparum.*
De Geer *Inf.* v. *p.* 215. *N:o* 7. *Curc. Druparum.*
Scæff. *Icon. Inf. t.* 1. *f.* 11.

Obs. Villi cinerafcentes interdum ætate vel cafu deteruntur ut magis glaber evadat.

N:o xi.

CURCULIO Pubescens.

Rufus, fupra pube rariori, fubtus denfiori brevisfima cinerea, roftro longiore arcuato, elytris convexo-cylindricis, fcutello albo, pedibus fubdentatis.

Descr. Caput rufum pube cinerea: *roftrum* tenue arcuatum, longitudine fere elytrorum, apice nigro; *antennæ* rufæ, apice fufcefcentes, roftro vix longiores; *oculi* minuti parum prominuli. Thorax rufus, pube cinerea, fupra rariore, fubtus denfiore, convexus, antice fubanguftatus. Scutellum minutum albidum. Elytra convexo-cylindrica, punctato-ftriata, rufa, pube rariori brevisfima cinerea, thorace haud multo latiora at duplo longiora. Sternum et Abdomen rufa, pube denfa cinerea. Pedes rufi pube cinerea: anteriores longiores; *femora* antica et intermedia denticulata, poftica fere omnino inermia. Magnitudo præcedentem æquiparat.

Locus: habitat rarius in Uplandia.

Obs. Color rufus pube cinerea haud abfconditur. Differt a præcedenti, cui ftatura fimilis, pubefcentia diffi-

dissimili, rostro arcuato, elytris postice minus gibbosis et femoribus minus dentatis; a sequenti differt colore, pubescentia dissimili, femoribusque anticis minus valide dentatis.

N:o XII.

CURCULIS Pomorum.

Obscure rufus villis cinereis, rostro mediocri curvato, elytris convexo-cylindricis: macula fasciisque duabus nigricantibus fasciam obliquam albidam includentibus.

Descr. Caput rufum villis cinereis: *rostrum* nigrum, sæpe rufum apice nigro, thorace vix longius, tenue, curvatum, *antennæ*, fuscæ rostro paulo longiores; *oculi* minuti, nigri. Thorax rufus, villis brevissimis cinereis. in lateribus lineaque dorsali albidioribus, convexus, antice dorso impressus, parum angustatus. Scutellum minutum, albicans Elytra convexo-cylindrica, punctato-striata, thorace latiora, thorace capiteque, rostro excepto, duplo longiora, rufa, villis brevissimis cinereis; macula parva baseos fasciisque duabus obliquis nigris, altera in medio, altera magis ad apicem maculam vel fasciam albidiorem, marginem exteriorem haud attingentem, includentibus. Alæ elytris duplo longiores, albo-hyalinæ, nervis maculaque costali nigris. Sternum et Abdomen rufa villis cinereis. Pedes rufi, villis cinereis: *femora* antica valde incrassata, valide dentata, intermedia clavata dente minori, postica denticulo minimo. Magnitu-

DO;

do: longitudine ſed non globoſitate Curc. druparum.

Locus: habitat in floribus gemmisque Pomonæ et ulmi.

SYNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 109. N:o 145. Curc. Pomorum. p. 108. N:o 129. Curc. Villoſus.*
Linn. *Syſt. Nat. 11. p. 612. N:o 46. Faun. Sv. N.o 612. Curc. Pomorum. Syſt. Nat. p. 615. N:o 66. Faun. N:o 620. Curc. pedicularius.*
De Geer *Inſ. t. 5. p. 215. N:o 8. t. 6. f. 26 et 27. Curc. Ulmi.*

N:o XIII.

CURCULIO Dorsalis.

Oblongo-ovatus, roſtro mediocri, ſcutello nullo, niger, elytris rubris: margine ſuturaque baſi nigris.

Descr. Caput nigrum: *roſtrum* thoracis longitudine, parum curvatum; *antennæ* roſtro longiores, baſi rufeſcentes, in medio geniculatæ; *oculi* immerſi. Thorax niger, pube breviſſima, oculis nudis inconſpicua, cinerea, punctatus, convexus, antice vix anguſtatus. Scutellum nullum. Elytra oblongo-ovata, thorace paulo latiora et duplo longiora, punctato-ſtriata, rubra, ſummo margine exteriore, et ſutura baſi late nigra. Sternum et Abdomen nigra. Pedes nigri: *femora* omnia ſubclavata, denticulo breviore. Magnitudo: longitudine fere Curc. druparum ſed anguſtior.

Locus: habitat in Ranunculo ficaria. Linnæus. In ſalicibus menſe auguſti rarius in Uplandia reperi.

Syn-

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 102. N:o 66. Curc. Dorfalis.*
LINN. *Syft. Nat. 11. p. 608. N:o 17. Faun. Sv. N:o 588. Curc. Dorfalis.*

OBS. Ab auctoribus minus bene obfervatus. Ab Ill. a LINNÉ et Cel. FABRICIO ad Curculiones femoribus muticis refertur: omnes autem, iique haud pauci a me vifi, denticulo femorali armati fuerunt, nec infimum articulùm antennarum reliquis æqualem habuerunt, ut a LINNÉ in Fauna Svecica memorat.

N:o XIV.

CURCULIO QUINQUEPUNCTATUS.

Oblongo-ovatus gibbus, fupra cinerafcenti-fubæneo-fquamofus, thorace medio latiore, lineola longitudinali alba, elytris brevioribus ovatis, futura maculisque duabus fquamofis albis.

DESCR. CAPUT nigrum fquamulis grifeis: *roftrum* tenue, incurvum, vix longitudine thoracis, apice rufum; *antennæ* roftro paulo longiores; *oculi* fubimmerfi. THORAX gibbus, rotundatus, poftice marginatus, angulis lateralibus nullis, medio elytrorum latitudine, niger, fubtus fquamulis cinereis, fupra fubæneo-cinerafcentibus, lineola dorfali albida. SCUTELLUM minutum, albidum. ELYTRA convexa, fubtilisfime punctato-ftriata, thorace haud multo longiora, nigra, fquamulis fubæneo-cinerafcentibus omnino tecta, futura maculisque duabus oblongis albis, quarum una bafeos in angulo exteriore, altera pone medium. STERNUM et ABDOMEN nigra, cinereo-fquamofa.
PE-

PEDES nigri, cinereo-squamosi: *femora* omnia clavata, denticulo breviore. MAGNITUDO: Curc. druparum paulo minor.

LOCUS: habitat in Svecia australi minus frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Ins. p. 107. N:o 123. Curc. 5-punctatus.*
LINN. *Syst. Nat. II. p. 614. N:o 64. Faun. Sv. N:o 618. Curc. 5-punctatus.*
SCHÆFF. *Icon. Ins. t. 1. f. 12.*

OBS. Vix a 5-maculato Linn. distinctus. Squamulæ subæneo-cinerascentes sæpe deteruntur, unde magis niger evadit.

N:o XV.

CURCULIO VARIANS.

Niger, pube rara brevissima cinerea, rostro longiore arcuato, scutello albo, elytris convexo-globosis glabris rufis, margine omni nigro.

DESCR. CAPUT nigrum pube brevissima cinerea: *rostrum* tenue, longitudine abdominis, parum arcuatum; *antennæ* rostro longiores flavescentes, apice fuscæ; *oculi* parum prominuli. THORAX niger pube brevissima cinerea, convexus, antice angustatus. SCUTELLUM minutum album. ELYTRA convexo-globosa, glabra, punctato-striata, thorace parum latiora et duplo longiora, rufa, margine undique nigro. ALÆ albo-hyalinæ, macula obsoleta costali nervisque fusco-flavescen-

ſcentibus. STERNUM et ABDOMEN nigra, pube brevisſima cineraſcente. PEDES nigri: *femora* denticulo breviore. MAGNITUDO: latitudine ſed non longitudine præcedentis.

LOCUS: habitat in pinu ſylveſtri ſat frequens in Uplandia, frequentior in Bothnia occidentali.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 108. N:o 130. Curc. Beccabungæ.*

OBS. Sub falſo nomine a me olim ad Dom. FABRICIUM misſus et ab illo deſcriptus; minime enim eſt Curc. beccabungæ LINNEI. Differt a præcedenti, colore, roſtro longiore, et elytris magis globoſis.

VAR. *β.*

Totus niger pube brevisſima cinerea, ſcutello albo, elytris glabris.

LOCUS: habitat in Bothnia occidentali frequens cum var. *α*, cui, colore elytrorum excepto, omnino ſimillimus, at nunquam alibi inveni.

N:O XVI.

CURCULIO CALCAR.

Niger opacus griſeo-pubeſcens, antennis tarſisque teſtaceis, femoribus poſticis ſaltatoriis unidentatis.

DESCR. CAPUT nigrum, pilis brevisſimis griſeo-pubeſcentibus: *roſtrum* incurvum, thoracis longitudine; *antennæ* teſtaceæ, roſtro paulo longiores, geniculo baſi paulo propiore; *oculi* vix prominuli. THORAX convexus,

 ſub-

ſubcylindricus, longitudine latitudinis, ſubtiliſſime punctatus, niger, pube breviſſima cineraſcente. SCUTELLUM minutum, griſeo-pubeſcens, rarius albicans. ELYTRA convexo-ſubcylindrica, punctato-ſtriata, thorace haud duplo latiora ſed triplo longiora, nigra, pube breviſſima cineraſcente. ALÆ albo-hyalinæ. STERNUM et ABDOMEN nigra, griſeo-pubeſcentia. PEDES nigri: *tarſi* teſtacei: *femora* poſtica ſaltatoria, incraſſata, unidentata. MAGNITUDO: Curc. druparum duplo brevior et triplo anguſtior.

LOCUS: habitat in foliis fagi Sveciæ auſtralis menſe ſeptembri.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 110. N:o 153. Curc. Calcar.*

N:o XVII.

CURCULIO ILICIS.

Niger pilis griſeis albisque nebuloſus, femoribus poſticis ſaltatoriis dentato-ſerratis.

DESCR. CAPUT nigrum pilis rarioribus griſeis: *roſtrum* ſubcylindricum arcuatum thorace vix longius; *antennæ* ſubteſtaceæ roſtro longiores; *oculi* magni ſubprominuli. THORAX niger, pilis griſeis, ſubcylindricus. SCUTELLUM minutum, albicans. ELYTRA convexo-ſubcylindrica, punctato-ſtriata, thorace duplo latiora et triplo fere longiora, nigra, pilis griſeis albisque nebuloſa: macula parva oblonga ſuturali baſeos e pilis denſioribus albidis. ALÆ elytris duplo lon-

longiores, hyalinæ, nervis obſcurioribus. STERNUM et ABDOMEN nigra, pilis brevisſimis, griſeis, rarioribus. PEDES nigri, pilis brevisſimis rarioribus griſeis: *tarſi* ſubteſtacei; *femora* antica vix dentata, poſtica ſaltatoria incrasſata, dentato-ſerrata. MAGNITUDO: Curc. Druparum duplo minor.

LOCUS: habitat in foliis quercus Uplandiæ frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 110. N:o 156. Curc. Ilicis. ibid. N:o 152. Curc. Piloſus.*
DE GEER *Inſ. t. 5. p. 264. N:o 50. Curc. ſaltator ſegetis.*

N:O XVIII.

CURCULIO VIMINALIS.

Supra rufus pilis denſis brevisſimis griſeſcentibus, femoribus poſticis ſaltatoriis ſerrato-denticulatis.

DESCR. CAPUT rufum, pilis brevisſimis cineraſcentibus; *roſtrum* thorace paulo longius, inflexum; *antennæ* geniculatæ, primo articulo reliquis parum longiore; *oculi* nigri vix prominuli. THORAX convexus, punctulatus, rufus, pilis brevisſimis griſeſcentibus. SCUTELLUM minutum griſeſcens. ELYTRA thorace duplo latiora et triplo fere longiora, convexa, punctato-ſtriata, rufa, pilis brevisſimis griſeſcentibus. ALÆ hyalinæ, elytris duplo longiores. STERNUM et ABDOMEN fuſca; rarius abdomen apice rufeſcens. PEDES rufi: *femora* poſtica ſerrato-denticulata,

incrasſata. MAGNITUDO præcedentem æquiparat.

LOCUS: habitat in foliis Ulmi.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 110. N:o 155. Curc. Viminalis.*
DE GEER *Inſ. t. 5. p. 260. N:o 48. Curc. Saltator Ulmi.*

N:o XIX.

CURCULIO ALNI.

Teſtaceus pilis brevisſimis rarioribus, capite, ſterno, pedibus maculisque utrinque duabus elytrorum fuſcis, femoribus poſticis ſaltatoriis ſerrato-dentatis.

DESCRIPTIO. CAPUT obſcure fuscum: *roſtrum* fuscum, rarius teſtaceum apice fuſco, thorace paulo longius, incurvum; *antennæ* teſtaceæ; *oculi* nigri vix-prominuli. THORAX teſtaceus, convexus, punctulatus, brevis, pilis brevisſimis rarioribus griſeſcentibus. SCUTELLUM minutum, teſtaceum. ELYTRA thorace duplo latiora et triplo fere longiora, convexa, punctato-ſtriata, pilis rarioribus brevisſimis, oculis nudis inconſpicuis, punctato-ſtriata, teſtacea, maculis utrinque duabus dilute fuscis, altera ad baſin, altera in medio. STERNUM fuscum. ABDOMEN teſtaceum, baſi fusceſcens, rarius totum fuscum. PEDES dilute fusci, rarius teſtacei. MAGNITUDO vix Curc. Ilicis æquiparat.

Lo-

Locus: habitat in foliis Alni Uplandiæ.
SYNON. Fabr. *Mant. Inf. p. 100. N:o 151. Curc. Alni.*
Linn. *Syst. Nat. 11. p. 611. N:o 42. Faun. Sv. N:o 608. Curc. Alni.*
De Geer *Inf. t. 5. p. 662. N:o 49. Curc. saltator Alni.*

Var. β.

Testaceus totus, rostro apice oculisque nigris.

Locus: habitat cum præcedenti, cui simillimus, rarior.

Var. γ.

Niger, thorace elytrisque rufis, his macula utrinque parva baseos magnaque communi in medio nigris.

Locus: rarissime occurrit.

Obs. Præcedentibus, colore excepto, simillimus. A Curc. Viminali differt colore, habitatione, larva diversa et pilis multo rarioribus.

PHALANX SECUNDA: Subquadrati *).

N:o xx.

CURCULIO Nucum.

Niger flavo-griseo dense villosus, elytris planis triangularibus, rostro longissimo arcuato basi carinato.

Descr. Caput minutum, flavo-griseo villosum: *rostrum* glabrum, longitudine fere to-

*) *Ad subquadratos omnes refero Curculiones elytris latitudine baseos haud longioribus.*

totius corporis, tenue, arcuatum, basi carinulatum, fuscescens, a medio ad apicem rufum; *antennæ* longitudine rostri, basi rufescentes, apice fuscescentes; *oculi* nigri, immersi. THORAX niger, undique villis flavicantibus, convexus, antice angustatus, postice latitudine longitudinis. SCUTELLUM subrotundum, concolor. ELYTRA nigra, villis flavo-griseis, tenuissime punctato-striata, planiuscula, basi thorace paulo latiora, apice valde angustata, ut fere triangularia sint. STERNUM et ABDOMEN nigra, flavo-griseo villosa. PEDES mediocres, rufescentes: *femora* omnia acute dentata. MAGNITUDO seminis Pœoniæ Officinalis.

LOCUS: habitat larva in nucleis coryli avellanæ.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 108. N:o 135. Curc. Nucum.*
LINN. *Syst. Nat. p. 613. N:o 59. Faun. Sv. N:o 616. Curc. Nucum.*
DE GEER *Inf. t. 5. p. 205. N.o 2. Curc. Nucum.*
SCHÆFF. *Icon. t. 50. f. 4. Elem. t. 55. f. 1.*

N:o XXI.

CURCULIO CERASORUM.

Niger villis griseis, rostro longissimo cylindrico arcuato, elytris subtriangularibus: fascia postica scutelloque flavo-griseis.

DESCR. CAPUT nigrum: *rostrum* glabrum, longitudine corporis, arcuatum, tenue, cylindricum; *antennæ* vix longitudine rostri, basi

basi rufescentes; *oculi* majores, immersi. THORAX niger, convexus, villis griseis sparsis, antice angustatus, postice latitudine longitudinis. SCUTELLUM flavicans. ELYTRA subtilissime punctato-striata, plana, basi thorace paulo latiora, postice valde angustata ut fere triangularia, nigra, villis brevissimis griseis, fasciaque dorsali postica flavo-grisea. STERNUM et ABDOMEN nigra, villis griseis. PEDES nigricantes, villis griseis: *femora* omnia subdentata. MAGNITUDO: duplo minor est præcedenti.

LOCUS: habitat in Svecia australi rarius. Dom. QUENSEL.

SYNON. FABR. *Mant. Ins. p. 109. N:o 138. Curc. Cerasorum.*

OBS. Differt a præcedenti, cui omnino statura similis, colore, magnitudine, rostro haud basi carinato, et femoribus minus valide dentatis.

N:o XXII.

CURCULIO SCROPHULARIÆ.

Piceus villis flavescentibus, thorace minutissimo, elytris amplis lævibus: striis elevatis, punctis tomentosis flavis nigrisque alternis, maculisque duabus communibus nigris.

DESCR. CAPUT piceum, villis flavescentibus: *rostrum* glabrum thorace longius; *antennæ* rostro paulo longiores, clava grisea; *oculi* immersi. THORAX flavo-villosus, an-

tice parum angustatus, brevissimus. ELYTRA convexo-subquadrata, thorace triplo fere longiora et latiora, picea, subtilissime temere punctata: lineis, utrinque quinque elevatis, punctis alternis e villis flavis nigrisque, maculisque binis orbicularibus communibus tomentosis nigris; altera basi propiore, majore, altera minore fere in apice. ALÆ fuscæ, nervis obscurioribus costaque marginali flavescente. STERNUM et ABDOMEN picea, villis densis flavo-fuscescentibus. PEDES picei, villis flavis variegatis: *femora* omnia acute dentata. MAGNITUDO pisi minoris.

LOCUS: habitat in foliis Scrophulariæ nodosæ.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 107. N:o 120. Curc. Scrophulariæ.*
LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 614. N:o 61. Faun. Sv. N:o 603. Curc. Scrophulariæ.*
DE GEER *Inſ. t. 5. p. 208. N:o 3. Curc. Scrophulariæ.*
SCHÆFF. *Icon. t.* CCXXXII. *f.* VIII.

VAR. β.

Piceus undique villis griseo-virescentibus, elytrorum striis elevatis punctis nigris griseisque alternis, maculis binis communibus nigris.

LOCUS: habitat cum var. præcedenti, cui, colore et villositate elytrorum striisque elevatis paulo obsoletioribus exceptis, simillimus.

VAR. γ.

Piceus undique villis flavescentibus, elytrorum striis elevatis: punctis in striis maculisque binis communibus nigris.

LOCUS: habitat rarius cum præcedentibus, a quibus colore tantum differt.

N:o

N:o XXIII.

CURCULIO FRAXINI.

Piceus villosus, thorace minutissimo, elytris punctato-striatis: macula communi tomentosa nigra.

DESCR. CAPUT piceum, villis paucioribus, brevissimis, griseis: *rostrum* cylindricum, incurvum, capite thoraceque longius; *antennæ* longitudine rostri, dilute piceæ; *oculi* minuti, subimmersi, fusci. THORAX piceus, villis brevissimis griseis, dorso nigricante, antice angustatus. SCUTELLUM minutissimum. ELYTRA subquadrata, thorace fere triplo latiora et longiora, subtilissime punctato-striata, picea, villis brevissimis griseis nigrisque paucioribus: macula in medio magna communi subrotunda nigricante. ALÆ fuscescentes. STERNUM et ABDOMEN picea, villis brevissimis griseis. PEDES picei, villis griseis: *femora* acute spinosa. MAGNITUDO duplo fere minor est præcedenti.

LOCUS: habitat in foliis fraxini excelsioris.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 109. N:o 143. Curc. fraxini.*

DE GEER *Inf. t. 5. p. 212. N:o 4. Curc. fraxini.*

OBS. Villi grisei sæpe deteruntur. Varietatem e Germania mihi allatam vidi, quæ, thorace licet macula dorsali nulla, cetero simillima erat. Differt a Curc. Scrophulariæ, cui statura omnino similis, magnitudine, minori et elytris punctato-striatis, macula unica nigra.

N:o XXIV.

CURCULIO Trimaculatus.

Niger elytris brevibus depressis: maculis quatuor; sterno abdomineque albo-squamosis.

Descr. Caput nigrum, subtus villis paucioribus albidis: *rostrum* incurvum longitudine thoracis; *antennæ* longitudine rostri; *oculi* immersi. Thorax convexus, inermis, antice angustatus, dorso nigro, subtus albido-squamosus. Scutellum nullum. Elytra nigra, brevia vel capitis thoracisque longitudine, thorace haud multo latiora, subdepressa, striata, nigra: maculis quatuor squamosis albidis, prima baseos communi fere cruciata, secunda et tertia minori, margine utrinque exteriore in medio, quarta communi apicis. Sternum et Abdomen nigra, albido-squamosa. Pedes nigri, squamulis sparsis albidis: *femora* omnia acute dentata. Magnitudo: Curc. Scrophulariæ paulo est minor.

Locus: habitat in Uplandia rarior.

SYNON. Fabr. *Mant. Inf. p. 108. N:o 127. Curc. trimaculatus.*

N:o XXV.

CURCULIO Litura.

Niger, supra squamulis albis variegatus thorace denticulato, elytris subovatis.

Descr. Caput nigrum, albido-squamosum;

ſum; *roſtrum* glabrum, capite thoraceque longius, incurvum; *antennæ* nigræ roſtro paulo longiores; *oculi* ſubimmerſi. THORAX convexus, utrinque denticulo armatus, antice anguſtatus, transverſim impresſus, ſubtus denſe albo-ſquamoſus, ſupra niger, ſquamulis albis variegatus, interdum linea modo unica dorſali ſquamoſa alba. SCUTELLUM nullum. ELYTRA convexa, ſubovata, thorace paulò latiora, capite (roſtro excepto) thoraceque, longiora, ſubſtriata, nigra, lateribus, apice cruceque ſuturali baſeos albo-ſquamoſis. In apice albo-ſquamoſo macula utrinque glabra nigra diſtincta. ALÆ albo-hyalinæ, apice nervisque fuſceſcentibus. STERNUM et ABDOMEN nigra, denſe albo-ſquamoſa. PEDES nigri, albido-ſquamoſi: *femora* omnia acute dentata. MAGNITUDO Curc. fraxini æquiparat.

LOCUS: habitat in carduis Uplandiæ verſus ſinem menſis Auguſti.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p.* 108. *M:o* 128. *Curc. Litura.*

OBS. Differt a Curc. 3-maculato, thorace armato, elytris longioribus haud depresſis; a Curc. Didymo elytris haud globoſis, habitatione &c.

N:o XXVI.

CURCULIO MARGINATUS.

Niger pilis cineraſcentibus, ſquamulis ſubtus locoque ſcutelli denſis albidis, thorace antice marginato.

DESCR. CAPUT nigrum, pilis brevisſimis

mis griſeis ſquamulisque rarioribus albidis: *roſtrum* thorace paulo longius, incurvum, tenue; *antennæ* roſtro paulo longiores; *oculi* ſubimmerſi. THORAX convexus, inermis, antice parum anguſtatus, margine acuto elevato, niger, ſupra pilis brevisſimis griſeis ſquamulisque rarioribus, ſubtus denſioribus albidis. SCUTELLUM nullum. ELYTRA convexa, thorace parum latiora, at dimidio fere longiora, ſtriata, nigra, pilis brevisſimis griſeis, ſquamulisque rarioribus albidis, baſi in maculam parvam communem condenſatis. STERNUM et ABDOMEN nigra, ſquamulis denſis albidis. PEDES nigri, ſquamulis rarioribus albidis: *femora* denticulis minimis armata. MAGNITUDO Curc. fraxini æquiparat.

LOCUS: habitat in Veſtrogothia. Dom. GYLLENHAL.

OBS. Differt a Curc. pericarpio, cui affinis, roſtro tenuiore, thorace mutico et femoribus ſubdentatis, a ſequenti: ſquamulis albis, thorace antice marginato, et elytris magis convexis, ſcutello nullo.

N:o XXVII.

CURCULIO CAMPANULÆ.

Niger griſeo-ſubvilloſus, elytris depresſiuſculis punctato-ſtriatis truncatis.

DESCR. CAPUT nigrum, ſubtilisſime punctatum: *roſtrum* tenue, cylindricum, vix incurvum, thorace longius; *antennæ* tenues, roſtro vix longiores; *oculi* vix prominuli. THO-

Thorax convexus, antice anguſtatus et fere ſemirotundatus, poſtice latitudine fere elytrorum, ſubtilisſime punctatus, niger, pilis depresſis griſeis. Scutellum minutum, griſeum. Elytra depresſiuscula, punctato-ſtriata, nigra, interſtitiis ſtriarum pilis griſeis depresſis, apice ſubtruncata, abdominis vix longitudine. Alæ albo-hyalinæ, apice nervisque fusceſcentibus. Sternum et Abdomen nigra, pilis griſeis. Pedes nigri, pilis rarioribus griſeis: *femora* quatuor antica omnino mutica, poſtica in femina denticulata. Magnitudo: feminæ Curc. fraxini æquiparant, mares duplo fere minores ſunt.

Locus: habitat in floribus campanulæ menſe Julio frequens.

SYNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 100. N:o 40. Curc. Campanulæ.*
Linn. *Syſt. Nat. 11. p. 607. N.o 7. Curc. Campanulæ.*
De Geer *Inſ. 5: p. 236. N:o 23. Curc. Campanulæ.*

N:o XXVIII.

CURCULIO Didymus.

Niger, ſubtus denſe albo-ſquamoſus, thorace denticulato, elytris ſubgloboſis: maculis tribus albido-ſquamoſis.

Descr. Caput nigrum ſubtus albido-ſquamoſum: *roſtrum* parum arcuatum, thorace paulo longius; *antennæ* roſtro haud multo longiores; *oculi* vix prominuli. Thorax niger, ſubtus lateribusque albido-ſquamoſus, lineola

lineola longitudinali, convexus, denticulatus, antice angustatus, transversim impressus. SCUTELLUM nullum. ELYTRA thorace paulo longiora et latiora, subglobosa, striata, nigra: squamulæ quædam albidæ ad basin suturæ, macula utrinque squamosa albida in medio, aliaque apicis, communis. ALÆ corporis longitudine, albo-hyalinæ. STERNUM et ABDOMEN nigra, squamulis densis albidis. PEDES nigri, squamulis albidis: *femora* omnia dentata. MAGNITUDO: Semine cannabis paulo est minor.

LOCUS: habitat in Urtica urente frequens. *SYNON.* FABR. *Mant. Inf. p. 108. N:o 125. Curc. didymus.*

OBS. Squamulæ albidæ sæpe deteruntur.

N:o XXIX.

CURCULIO TROGLODYTES.

Rufo-fuscus, rostro tenui curvato, thorace lineola longitudinali, elytris punctato-striatis, setis brevissimis.

DESCR. CAPUT obscure rufo-fuscum: *rostrum* tenue, thorace longius, curvatum; *antennæ* tenues, thorace longiores; *oculi* subimmersi. THORAX rufo-fuscus, subtus squamulis paucioribus grisescentibus, antice valde angustatus, transversim impressus, lineola longitudinali lævissima, sæpius grisescente. SCUTELLUM minutissimum, griseo-squamosum. ELYTRA ovato-gibba, thorace haud duplo longiora et latiora, setis brevissimis nudis oculis vix conspicuis albicantibus, rufo-fusca, sutu-

ſutura vix obſcuriore. ALÆ albo-hyalinæ. STERNUM et ABDOMEN rufo-fusca, ſquamulis paucioribus albidis. PEDES rufi, ſquamulis paucioribus albidis: *femora* ſubdentata. MAGNITUDO: præcedenti paulo eſt minor.

LOCUS: habitat in Uplandia minus frequens, ad margines agrorum menſe ſeptembri. *SYNON.* FABR. *Mant. Inſ. p. 108. N:o 131. Curc. troglodytes.*

N:o XXX.

CURCULIO SALICIVORUS.

Niger, ſubtus albo-ſquamoſus, roſtro longisſimo curvato, elytris convexis ſubovatis; abdomine brevi.

DESCR. CAPUT nigrum, ſubtus albo-ſquamoſum, ſupra ſquamulis paucioribus ſubgriſeis: *roſtrum* glabrum, tenue, curvatum, longitudine fere corporis; *antennæ* longitudine roſtri, baſi rufeſcentes; *oculi* immerſi. THORAX niger, muticus, ſubtus denſe albo-ſquamoſus, ſupra ſquamulis paucioribus griſeis albisque, ſubcylindricus, vix antice anguſtatus. SCUTELLUM minutum, albicans. ELYTRA nigra, convexa, ſubtilisſime punctato-ſtriata, pilis brevisſimis, rarioribus, cineraſcentibus, thorace capiteque, roſtro excepto, haud longiora, poſtice rotundata. ALÆ amplæ, albo-hyalinæ, puncto marginali nervisque obſcurioribus. STERNUM et ABDOMEN albo-ſquamoſa. PEDES nigri; *femora*

mora omnia denticulata. MAGNITUDO: paulo minor est præcedenti.

LOCUS: habitat in foliis salicis fragilis mense Julio in Uplandia.

OBS. Differt a var. β Curc. variantis, magnitudine, rostro paulo longiore, abdomine breviore, elytrisque haud globosis; differt a C. Campanulæ: magnitudine, habitatione, elytris postice rotundatis, et rostro, ratione magnitudinis, multo longiore.

SECTIO SECUNDA:

Longirostres femoribus muticis.

PHALANX PRIMA: OBLONGI.

N:o XXXI.

CURCULIO ARCTICUS.

Niger pube griseo-flavescente, thorace depresso carinato, in medio latiore, lateribus albicantibus, rostri basi elytrisque puncto utrinque in medio albo.

DESCR. CAPUT nigrum, pube brevissima cinerea: *rostrum* crassiusculum, thorace paulo longius, subrectum, punctulatum, apice tricarinatum, a basi ad medium supra albo-tomentosum; *antennæ* rostro paulo longiores; *oculi* subimmersi. THORAX niger, pube cinerascente, maculis quibusdam lateralibus albidioribus, punctulatus, depressiusculus, carinula media longitudinali elevata, antice posti-

ſticeque anguſtatus, in medio ſubangulatus. SCUTELLUM minutum, nigrum. ELYTRA nigra, pubeſcentia, cinereo-flaveſcentia, puncto utrinque in medio albido, valde convexa, thorace duplo latiora et triplo fere longiora, ſtriata, punctis profundioribus rarioribus impresſis, interſtitiis ſtriarum ſubrugoſis, punctis elevatis minutisſimis. STERNUM et ABDOMEN nigra, cinereo-pubeſcentia, linea utrinque macularum albido-flaveſcentium, ultimo ſegmento immaculato. PEDES nigri, pube cineraſcente; *femora* mutica annulo albido-flaveſcente. MAGNITUDO: inter omnes noſtrates maximus.

LOCUS: In foliis ſalicis ad inſulam Mattuſaari in Karungi Bothniæ occidentalis, ſemel initio Julii unicum reperi.

OBS. Differt a ſequenti, colore, magnitudine duplo majori, thorace in medio ſubangulato, et elytris ſtriatis, punctis rarioribus, interſtitiis rugoſis. A Curc. Confuſo differt magnitudine, diverſa pubeſcentia, thorace minus rugoſo, et elytris magis convexis.

N:O XXXII.

CURCULIO COLON.

Niger, pube griſea, thorace ſubcarinato poſtice latiore: linea laterali punctoque utrinque in medio elytrorum albis.

DESCR. CAPUT nigrum, griſeo-pubeſcens; *roſtrum* crasſiuſculum, thorace paulo longius, apice carinatum; *antennæ* roſtro vix

lon-

longiores; *oculi* ſubimmerſi. THORAX ſubtilisſime punctatus, depresſiusculus, antice anguſtatus, carinula media longitudinali, niger, ſubtus pube albidiore, ſupra pube griſea, linea utrinque laterali albicante. SCUTELLUM minutisſimum, griſeum. ELYTRA nigra, pube brevisſima cineraſcente, punctoque utrinque in medio albo, convexa, antice thorace vix latiora, in medio multo ampliora, poſtice anguſtata acutiuscula, ſtriata punctis minutisſimis frequentioribus, interſtitiis ſtriarum glabris. ALÆ elytris paulo longiores, hyalinæ, nervis fuſceſcentibus. STERNUM et ABDOMEN nigra, pube cineraſcente lineaque utrinque macularum albidiorum, ſegmento ultimo immaculato. PEDES nigri, villis griſeis: *femora* ſæpius annulo albicante; antica vix ſubdentata, unde forte ad Sectionem præcedentem eſt amandandus. MAGNITUDO: dimidio minor præcedenti vel magnitudine Curc. Sulciroſtris.

LOCUS: habitat in Svecia auſtrali rarius; in Germania magis frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 98. N:o 20. Curc. Colon.*
LINN. *Mant. p. 531. Curc. Colon.*
SCHÆFF. *Icon. t. 155. f. 2.*

VAR. *β.*

Niger, pube griſeo-flaveſcente, lineis thoracis punctisque elytrorum et abdominis flavioribus.

LOCUS: habitat cum præcedenti, cui ſimillimus.

OBS.

Obs. Curculionem huic valde ſimilem, licet ſpecie diverſum cel. Rossi ex Italia mecum benevole communicavit, quem ita determinavi: Curc. Binotatus: *apterus niger, pube fuſceſcente, thorace carinato, linea laterali albicante, elytris ſubdepresſis puncto poſtico albo.* Satis igitur noſter ab illo diſtinctus. Differt etiam a Curc. 2-maculato, magnitudine majori, roſtro, ratione magnitudinis, breviore haud glabro, elytrisque convexioribus, in medio, (non ut in illo verſus apicem), puncto albo vel flavo-cineraſcente.

N:o XXXIII.

CURCULIO Confusus.

Niger thorace rugoſo, elytris convexis, punctis quadratis impresſis, decemſtriatis; faſciculis pilorum cinereo-flavicantium temere ſparſis.

Descr. Caput nigrum pube brevisſima cinereo-flaveſcente: *roſtrum* crasſiusculum, ſubrectum, ſcabriusculum, apice latiore, longitudine thoracis; *antennæ* roſtro longiores; *oculi* ſubimmerſi. Thorax niger, pilis brevioribus rarioribus cinereo-flavicantibus, punctatus, dorſo rugoſo, ſubcylindricus, vel in medio paulo dilatatus. Scutellum griſeo-flavicans. Elytra thorace latiora, et triplo fere longiora, convexa, nigra, faſciculis parvis pilorum breviorum cinereo-flaveſcentium hinc illinc temere ſparſis, ſtriisque decem e punctis profundioribus ſubquadratis impresſis. Alæ amplæ, abdomine multo longiores, fuſceſcentes, nervis obſcurio-

rioribus. STERNUM et ABDOMEN nigra, pube rariore brevisſima cineraſcente. PEDES picei: *femora* clavata, mutica. MAGNITUDO: inter majores ſed Curc. arctico minor.

LOCUS: habitat in Pino ſylveſtri.

OBS. Ab auctoribus cum Curc. Abietis et Pini confuſus videtur: differt vero a priori, thorace magis rugoſo, elytris magis profunde punctatis, diverſa pubeſcentia femoribusque muticis; a ſequenti differt magnitudine triplo majori, elytrorum diverſa pubeſcentia, iisque magis convexis, thorace rugoſo roſtroque craſſiore.

N:o XXXIV.

CURCULIO PINI.

Brunneus, roſtro tenui curvato glabro, thorace ſubtilisſime punctato, elytris ſubdepresſis: faſciis duabus transverſis linearibus, ſquamulis flavicantibus.

DESCR. CAPUT brunneum: *roſtrum* thorace paulo longius, incurvum, glabrum, tenue, apice obſcurius; *antennæ* roſtro vix longiores; *oculi* immerſi. THORAX ſubcylindricus, antice paulo anguſtatus, ſubtilisſime punctatus, villis et ſquamulis, vix oculo nudo conſpicuis, flavicantibus. SCUTELLUM minutum, flavicans. ELYTRA vix thorace latiora at plus duplo longiora, ſubcylindrica dorſo depresſiusculo, calloque poſtico, ſtriis decem e punctis profundioribus, brunnea, pilis ſquamulisque brevisſimis temere ſparſis flavicantibus, fasciisque duabus ſquamularum flaviorum,

rum, quarum prima basi propior, obsoletior, secunda paulo pone medium, latior et distinctior. ALÆ amplæ, elytris dimidio longiores, fuscescentes, nervis obscurioribus. STERNUM et ABDOMEN brunnea, pilis brevissimis cinereo-flavescentibus. PEDES brunnei, villis cinereo-flavescentibus: *femora* mutica. MAGNITUDO: triplo minor præcedenti.

LOCUS: habitat in Pino frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 98. N:o 14. Curc. Pini.*
LINN. *Syst. Nat. 11. p. 608. N:o 19. Faun. Sv. N:o 589. Curc. Pini.*
DE GEER *Inf. t. 5. p. 222. N:o 15. Curc. Pini. p. 231. N:o 19. Curc. Castaneus.*

OBS. Pilis et squamulis flavescentibus detritis totus lævis evadit ut in specimine ab Ill. DE GEER sub nomine *Castanei* descriptus, qui certe ab hoc non diversus. In Fauna Svecica loco citato mendose impressum: *Simillimus Curc. Abietis sed major*, lege *minor*; duplo enim minor est. Differt. etiam ab illo femoribus muticis, elytris magis cylindricis subdepressis, et si lenti subjiciuntur, invenimus fascias elytrorum *Curc. Abietis* e pilis apice obtusis, fascias vero *Curc. Pini* e squamulis latioribus oriri, quare mihi diversi videntur. Ill. a LINNÉ illos quidem copula junctos vidit, sed ut Coccinellas taceam, etiam animalia majora specie diversa sæpe inter se miscentur, ut satis cuique constat.

N:o XXXV.

CURCULIO LAPATHI.

Albo nigroque varius thorace fasciculato carinato, elytris fasciculatis postice declivibus.

DESCR. CAPUT nigrum, punctulatum: *rostrum* thorace vix longius, arcuatum, basi cari-

carinatum, fæpius fub pectore inter pedes, (ubi pro receptu foveola magna) arcte inflexum; *antennæ* brunneæ, longitudine roftri; *oculi* immerfi. THORAX convexus, punctatus, carinatus, antice anguftatus, in medio longitudine latior, dorfo nigro, antice et in medio fafciculis plurimis obfcurioribus pilorum craffiusculorum elevatorum; fubtus et ad latera fquamulis minutisfimis confertisfimis depresfis. SCUTELLUM minutum, nigrum. ELYTRA gibbofa, thorace duplo longiora fed parum latiora, ftriis punctatis, nigra, fafciculis plurimis, ut in thorace, obfcurioribus elevatis; antice macula fquamofa alba punctisque in primis ad latera fparfis; poftice declivia, fquamulis minutisfimis confertisfimis depresfis albis. ALÆ amplæ, hyalinæ, nervis fufcefcentibus. STERNUM et ABDOMEN nigra. PEDES albo-nigroque varii: *femora* antica denticulo minutisfimo, reliqua omnino mutica. MAGNITUDO: longitudine Curc. pini fed latior.

LOCUS: habitat in Rumice Lapathi. LINNÆUS. In Salice. Ipfe.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 106. N:o 109. Curc. Lapathi.*

LINN. *Syft. Nat. 11. p. 608. N:o 20. Faun. Sv. N:o 591. Curc. Lapathi.*

DE GEER *Inf. t. 5. p. 223. N:o 16. t. 7. f. 1 et 2. Curc. Albicaudis.*

N:o

N:o XXXVI.

CURCULIO Equiseti.

Cinereo-nigroque varius, roſtro longiore arcuato, thorace ſubgloboſo lævi, elytris tuberculatis poſtice declivibus.

Descr. Caput nigrum, ſquamulis cinereis: *roſtrum* thorace duplo longius, glabrum, arcuatum; *antennæ* tenues, roſtro paulo longiores; *oculi* immerſi. Thorax lævis, gibbus, vel fere globoſus, ſubtilisſime punctatus, niger, latera ſubtusque ſquamulis minutisſimis confertisſimis undique tectus. Scutellum cinereum, minutisſimum. Elytra thorace latiora et plus duplo longiora, punctato-ſtriata, tuberculis oblongis triplice ordine, præſertim poſtice elevatis, dorſo nigro, margine exteriori et declivitate poſtica cinereo-ſquamoſis. Alæ elytris longiores, albo-hyalinæ, nervis obſcurioribus. Sternum nigrum, lateribus cinereo-ſquamoſis. Abdomen nigrum. Pedes: *tibiæ tarſique* rufo-cineraſcentes; *femora* mutica, nigra, annulo cinereo. Magnitudo: duplo fere minor præcedenti.

Locus. habitat in equiſeto arvenſi.

SYNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 99. N:o 26. Curc. Equiſeti.*
Linn. *Syſt. Nat. 11. p. 609. N.o 22. Faun. Sv. N:o 592. Curc. Scaber.*
De Geer *Inſ. 5. p. 224. N:o 17. Curc. Nigro-gibboſus.*

N:o XXXVII.

CURCULIO ATRIROSTRIS.

Niger, ſquamulis denſis cinereis, roſtro glabro, elytris apice declivibus, callo acuto.

DESCR. CAPUT nigrum, ſquamulis cinereis: *roſtrum* glabrum nigrum, cylindricum, arcuatum, thoracis longitudine; *antennæ* nigræ, roſtro paulo longiores; *oculi* immerſi. THORAX niger, ſquamulis minutisſimis cinereis undique tectus, ſubtilisſime punctatus, convexus, ſubcylindricus. SCUTELLUM cinereum. ELYTRA nigra, ſquamulis denſis cinereis difficile avellendis, thorace paulo latiora et plus duplo longiora, ſubtilisſime punctato-ſtriata, ſubcylindrica, poſtice declivia, callo acuto. ALÆ elytris duplo longiores, albo-hyalinæ, puncto marginali obſcuriore. STERNUM et ABDOMEN nigra, ſquamulis cinereis. PEDES cinerei: *femora* mutica. MAGNITUDO: variat a magnitudine fere Curc. equiſeti, quod tamen apud nos rarisſime accidit, ad quadruplo minorem.

LOCUS: habitat inter herbas lacuſtres Uplandiæ, in argilla humida, more Staph. Junonis curſitans, circa tempus Johannis.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 99. N:o 28. Curc. Atriroſtris.*

OBS. Statura omnino Curculionis Equiſeti.

N:o XXXVIII.

CURCULIO Corticalis.

Cinereo-nigricans opacus, roſtro latiore, elytris profunde ſtriato-punctatis, apice declivibus, callo nullo.

Descr. Caput cinereo-nigricans, ſubtilisſime punctatum: *roſtrum* latiusculum, longitudine thoracis; *antennæ* roſtro vix longiores, rufeſcentes; *oculi* immerſi. Thorax cinereo-nigricans, punctulatus, ſubcylindricus, vix antice anguſtatus, Scutellum nullum. Elytra cinereo-nigricantia, ſtriis elevatis punctisque excavatis interjectis, thorace vix latiora at duplo longiora, poſtice declivia, callo nullo. Alæ hyalinæ nervis obſcurioribus. Sternum et Abdomen cinereo-nigricantia. Pedes breviores, cinereo-nigricantes: *femora* mutica. Magnitudo: longitudine Curc. druparum, roſtro excepto, ſed dimidio anguſtior.

Locus: habitat ſub cortice quercuum emortuarum in Smolandia rarior. S. Törner.

N:o XXXIX.

CURCULIO Polygoni.

Nigro-fuscus, ſquamulis anguſtioribus cinereis, thorace ſubgloboſo lineis tribus diſtinctis ſquamoſis, elytris ſquamoſis: lineis abbreviatis punctisque ſuturalibus denudatis.

Descr. Caput nigro-fuſcum, ſquamulis

lis cinerafcentibus: *roftrum* vix thorace longius; *antennæ* fæpius bafi rufefcentes; *oculi* immerfi. THORAX fubglobofus, nigro-fufcus, linea dorfali unaque utrinque laterali, fquamulis contiguis albo-cinereis. SCUTELLUM omnino minutisfimum, cinereum. ELYTRA oblongo-ovata, thorace duplo latiora et triplo fere longiora, punctato-ftriata, convexa, nigro-fusca, fquamulis creberrimis albo-cinerafcentibus: lineola abbreviata bafeos in margine interiore, lineolaque in medio longiori, nec bafin nec apicem tamen attingente, ramulos duos internos fæpius exferente, punctis futuralibus plurimis denudatis nigro-fuscis. ALÆ albo-hyalinæ, interdum valde abbreviatæ ut vix nifi rudimenta alarum, an differentia fexus? STERNUM et ABDOMEN cinereo-fquamofa. PEDES cinereo-fquamofi: *femora* mutica: MAGNITUDO: Curc. fequentem æquiparat.

LOCUS: habitat in diantho caryophyllo. Ipfe.

VAR. β.

Nigro-fuscus, cinereo-fquamofus, elytris dilute brunneis: lineolis punctisque futuralibus nigro-fuscis.

LOCUS: habitat cum præcedenti, cui omnino fimillimus.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 116. N:o 200. Curc. Polygoni.*

LINN. *Mant. p. 531. Curc. Arator.* Conf. *Curc. Polygoni. Syft. Nat. 11. p. 609. Faun. Sv. N:o 597.*

OBS.

Obs. Differt a Curc. Rumicis, cui valde ſimilis, thorace magis convexo fere globoſo, ſquamulisque aliter ordinatis, et, ſi oculo armato inſpiciuntur, anguſtioribus; a Curc. Plantaginis, abdomine magis elongato.

N:o XL.

CURCULIO Rumicis.

Niger, ſquamulis latioribus cinereis nebuloſus, ſcutellatus, thorace cylindrico, abdomine ovato-oblongo.

Descr. Caput nigrum, ſquamulis minutisſimis cinereis: *roſtrum* cylindricum, ſubincurvum, longitudine thoracis; *antennæ* jam fuscæ, jam baſi rufeſcentes; *oculi* minuti, ſubimmerſi. Thorax convexus, cylindricus, ſubtilisſime punctatus, niger, ſquamulis griſeis omnino tectus, lineis duabus longitudinalibus ſæpe confluentibus dorſalibus denudatis. Scutellum minutisſimum, cinereum. Elytra convexa, oblongo-ovata, thorace duplo latiora et triplo fere longiora, punctato-ſtriata, nigra, ſquamulis minutisſimis conſertisſimis cinereis tecta, macula vero communi baſeos ſubquadrata, punctis maculisque irregularibus hinc illinc temere ſparſis denudatis. Alæ elytris duplo longiores, albo-hyalinæ, flaveſcentes, macula marginali obſcura. Sternum et Abdomen nigra, ſquamulis denſis cinereis. Pedes nigri, ſquamulis cinereis: *femora* mutica. Magnitudo: Curc. tortrice dimidio fere major.

Lo-

Locus: habitat in foliis rumicis acuti, et crispi.

SYNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 103. N:o 73. Curc. Rumicis.*

Linn. *Syſt. Nat. 11. p. 614. N:o 60. Faun. Sv. N:o 590. Curc. Rumicis, ſed femora minime dentata.*

De Geer *Inſ. 5. p. 231. N:o 20. t. 7. f. 10 et 11. Curc. Rumicis.*

Var. β.

Niger, ſquamulis dilute brunneis, nebuloſus.

Locus: habitat cum præcedenti, cui, colore ſquamularum excepto, ſimillimus.

Var. γ.

Niger, ſquamulis cinereis omnino tectus, roſtro, antennis, fascia dorſali thoracis pedibusque magis denudatis.

Locus: habitat cum præcedentibus, cui ſimillimus.

N:o XLI.

CURCULIO Plantaginis.

Thorace brunneo, lineis tribus longitudinalibus griſeo-ſquamoſis, elytris ovatis teſtaceis: ſquamulis dilute griſeſcentibus, punctis maculaque utrinque magna fuſcis.

Descr. Caput brunneum, ſquamulis paucioribus griſeſcentibus: *roſtrum* cylindricum, incurvatum longitudine thoracis; *antennæ* roſtro longiores; *oculi* ſubimmerſi. Tho-

Thorax longitudine latitudinis, ſubgloboſus, brunneus, linea dorſali et utrinque laterali dilute griſea ſquamoſa. Scutellum minutisſimum, griſeum. Elytra thorace latiora et duplo fere longiora, convexa, ovata, ſtriato-punctata, teſtacea, ſquamulis griſeſcentibus: macula magna oblonga in medio punctisque plurimis, per lineis diſpoſitis, nigris. Alæ ſæpius nullæ: rudimenta alarum brevisſima; alæ interdum longiores, albo-hyalinæ. Sternum et Abdomen griſeo-teſtacea. Pedes griſeo-teſtacei; *tarſi* obſcuriores; *femora* mutica. Magnitudo: latitudine ſed non longitudine præcedentis.

Locus: habitat in Plantagine majori rarius.

SYNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 103. N:o 72. Curc. Plantaginis.*
De Geer *Inſ. 5. p. 237. N:o 24. t. 7. f. 17 et 18. Curc. Plantaginis.*

Obs. Squamulis detritis brunneus vel teſtaceus evadit, facile pro diverſa ſpecie habendus.

Var. *β.*

Brunneo-nigricans, ſquamulis cinereis, thorace lineis duabus longitudinalibus maculaque elytrorum utrinque in medio oblonga, glabrioribus nigricantibus.

Locus: habitat cum præcedente, cui ſimillimus.

N:o

N:o XLII.

CURCULIO Pedestris.

Exſcutellatus apterus niger, pilis breviſſimis cinereis, nitidiusculus, thorace ſubgloboſo, elytris oblongo-ovatis.

Descr. Caput nigrum, pube breviſſima cineraſcente: *roſtrum* thoracis longitudine, cylindricum; *antennæ* roſtro duplo fere longiores; *oculi* immerſi. Thorax ſubgloboſus, longitudine latitudinis, punctatus, niger, pube breviſſima cinerea nitidiuscula. Elytra thorace latiora, vix plus duplo longiora, convexa, oblongo-ovata, ſtriato-punctata, nigra, pube breviſſima nitidiuscula cinerea omnino tecta. Sternum et Abdomen nigra, pube cinerea. Pedes nigri, pube rariore cinerea: *tarſi* interdum rufeſcentes; *femora* mutica. Magnitudo: Curc. rumicis æquiparat.

Locus: habitat in Svecia auſtrali rarius.

Obs. Pubes cinerea ſæpe deteritur unde fere niger evadit. Differt a Curc. elongato ſtatura breviore et diverſa pubeſcentia.

N:o XLIII.

CURCULIO Miles.

Apterus exſcutellatus niger, pilis breviſſimis cineraſcentibus nitidis thoracis dorſi rarioribus; elytris apice ſubdeclivibus: punctis numeroſis denudatis nigris

Descr. Caput nigrum, fronte pilis brevis-

vissimis cinerascentibus: *rostrum* cylindricum, vix thoracis longitudine, ut forte potius ad Phalangem quartam sit amandandus; *antennæ* rostro longiores, basi rufescentes; *oculi* subimmersi. THORAX convexus, subcylindricus, vel in medio parum crassior, niger, pilis brevissimis cinereo-nitidis, dorso magis denudato, sæpius linea media angusta pilosa. ELYTRA convexa, apice depressiuscula, subdeclivia, thorace duplo latiora, sed paulo plus duplo longiora, punctato-striata, nigra, pilis brevissimis griseis nitidis, certo situ obsolete rubescente-splendentibus, punctis minutis numerosis denudatis sparsis nigris. STERNUM et ABDOMEN nigra, pilis brevissimis cinerascentibus nitidis. PEDES nigri, pilis cinerascentibus: *femora* mutica. MAGNITUDO: Curc. rumicis longitudine sed paulo latior.

LOCUS: habitat in Svecia australi rarius.

OBS. Differt ab omnibus Curculionibus apteris hujus familiæ declivitate elytrorum et diversa pubescentia.

N:o XLIV.

CURCULIO ARUNDINIS.

Apterus scutellatus niger squamulis densis cinereis, thorace subcylindrico, linea utrinque dorsali denudata, elytris oblongo-ovatis.

DESCR. CAPUT nigrum, squamulis pilis-

lisque brevisſimis cinereis: *roſtrum* magis denudatum, ſubrectum, longitudine thoracis; *antennæ* roſtro paulo longiores; *oculi* immerſi. THORAX convexus, ſubcylindricus, niger, denſe cinereo-ſquamoſus, pilis quibusdam brevisſimis cinereis, linea utrinque dorſali magis denudata fuſceſcente. SCUTELLUM minutisſimum, cinereum. ELYTRA convexa, oblongo-ovata, thorace duplo latiora et triplo fere longiora, ſtriata, nigra, ſquamulis denſis pilisque brevisſimis paucioribus cinereis. STERNUM et ABDOMEN nigra, ſquamulis denſis cinereis. PEDES nigri, ſquamulis cinereis paucioribus. MAGNITUDO: Curc. Rumicis paulo ſuperat.

LOCUS: habitat in arundine Scaniæ rarisſime. Dom. QUENSEL.

OBS. Differt a C. Polygoni thorace cylindrico et alia pubeſcentia, a Curc. Rumicis pubeſcentia diverſa et defectu alarum; a Curc. Plantaginis, thorace haud globoſo et elytris magis oblongis; a Pedeſtri ſcutello et alia villoſitate; a C. milite alia villoſitate et elytris haud declivibus.

N:o XLV.

CURCULIO ELONGATUS.

Scutellatus apterus niger, pilis denſis brevisſimis cineraſcentibus, thorace lineis tribus albidioribus, elytris longioribus, punctis obſoletis denudatis nigris.

DESCR. CAPUT nigrum, pilis cineraſcentibus: *roſtrum* cylindricum, curvatum, thoracis

cis longitudine; *antennæ* roſtro duplo longiores, baſi rufeſcentes; *oculi* immerſi. THORAX ſubgloboſus, ſubtilisſime punctatus, niger, pilis denſis cineraſcentibus, linea anguſta dorſali unaque utrinque laterali albidioribus. SCUTELLUM punctiforme, albidum. ELYTRA thorace haud multo latiora ſed triplo longiora, convexo-cylindrica, ſtriato-punctata, nigra, villis cinereis, præſertim ad latera albicantibus mixtis, punctisque obſoletis in lineis quatuor vel quinque longitudinalibus, diſpoſitis, nigris. STERNUM, ABDOMEN et PEDES nigra, pilis cinereis: *femora* mutica. MAGNITUDO: Curc. Incano, cui, ſtatura fere ſimilis, dimidio fere brevior ſed vix anguſtior.

LOCUS: habitat in Svecia auſtrali rarior.

OBS. Elytris longioribus anguſtioribus facile a reliquis apteris hujus familiæ dignoſcitur.

N:O XLVI.

CURCULIO ÆTHIOPS.

Niger nitidus lævisſimus, antennis pedibusque piceis, roſtro tenui arcuato, thorace ſubrotundo, elytris profunde punctato-ſtriatis.

DESCR. CAPUT nigrum, nitidum, lævisſimum, punctulatum; *roſtrum* tenue, arcuatum, thorace paulo longius; *antennæ* roſtro longiores, piceo-rufeſcentes; *oculi* immerſi. THORAX niger, nitidus, lævisſimus, confertis-

tisſime punctatus, convexus, ſubrotundus. SCUTELLUM minutum, nigrum. ELYTRA thorace vix latiora, ſed triplo fere longiora, convexa, cylindrica, poſtice rotundata, callo nullo, punctato-ſtriata, nigra, nitida; (microſcopio compoſito ſubjecta vix pilos rariores cineraſcentes ad latera ſparſos produnt). ALÆ amplæ, abdomine longiores, albo-hyalinæ, nervis obſcurioribus. STERNUM et ABDOMEN nigra. PEDES picei: *femora* mutica. MAGNITUDO: Curc. pini æquiparat.

LOCUS: habitat ad ripas arenoſas Bothniæ occidentalis frequens.

OBS. Curculionem huic omnino ſimillimum ſed duplo minorem ſemel vidi: an ſpecie diſtinctus? a Curc. curviroſtri differebat thorace ſubrotundo et elytris punctato-ſtriatis.

N:o XLVII.

CURCULIO ACRIDULUS.

Niger antennis pedibusque piceis, roſtro tenui longiore arcuato, elytris piceis ovatis punctato-ſtriatis apice ſubdeclivibus.

DESCR. CAPUT nigrum, ſubtilisſime punctatum; *roſtrum* nitidum, cylindricum, arcuatum, thorace longius; *antennæ* rufo-piceæ, roſtro longiores; *oculi* ſubimmerſi. THORAX niger, ſubtilisſime punctatus, convexus, longitudine latitudinis, ſubcylindricus, antice parum anguſtatus, pilis rarioribus lenti vix conſpicuis, griſeſcentibus. SCUTELLUM piceum.

ceum. ELYTRA picea, ovata, apice attenuata, ſubdeclivia, thorace fere duplo longiora, baſi paulo, in medio vero duplo latiora, punctato-ſtriata, pilis quibusdam rarioribus brevisſimis griſeſcentibus. ALÆ albo-hyalinæ, nervis flaveſcentibus. STERNUM et ABDOMEN nigra. PEDES picei: *femora* mutica. MAGNITUDO: triplo fere minor præcedenti.

LOCUS: habitat in floribus.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p.* 102. *N:o* 62. *Curc. Acridulus?*

LINN. *Syſt. Nat. p.* 607. *N:o* 13. *Faun. Sv. N:o* 584. *Curc. Acridulus.*

DE GEER *Inſ.* 5. *p.* 235. *N:o* 22. *Curc. Acridulus.*

OBS. Minime Curculio pyriformis a GEOFFROY deſcriptus, et ab illo ad Curc. Acridulum LINNÉI relatus ad hunc pertinet. Differt a Curc. Æthiope, cui affinis, magnitudine, abdomine breviore, elytris ovatis ſubdeclivibus, et pilis, licet brevisſimis, tamen, quam in illo, longioribus.

N:o XLVIII.

CURCULIO LINEARIS.

Niger, glaber, elongatus, cylindricus, planiusculus, roſtro mediocri baſi anguſtisſimo.

DESCR. CAPUT nigrum, ſubtilisſime punctatum: *roſtrum* ſubincurvum, thoracis vix longitudine, baſi anguſtatum, apice valde incrasſatum; *antennæ* piceæ roſtro vix longiores; *oculi* immerſi. THORAX niger, punctu-

latus, cylindricus, ſubdepresſus, latitudine longior. SCUTELLUM minutum, nigrum. ELYTRA nigra, punctato-ſtriata, cylindrico-ſubdepresſa, thorace vix latiora ſed triplo fere longiora. ALÆ amplæ, elytris duplo longiores, albo-hyalinæ, macula marginali nervisque obſcurioribus. STERNUM et ABDOMEN nigro-picea. PEDES picei, breviores: *femora* mutica. MAGNITUDO: longitudine fere Curc. pini ſed dimidio anguſtior.

LOCUS: habitat in Scania et Hallandia rarisſime. Dom. QUENSEL.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 104. N:o 87. Curc. Linearis.*

VAR. *β.*

Niger, antennis, elytris, abdomine pedibusque ferrugineis.

LOCUS: habitat cum præcedenti, cui ſimillimus, forſan nuper e nympha declaratus.

OBS. Totus ferrugineus etiam invenitur teſte cel. FABRICIO, a me vero haud ita viſus.

N:O XLIX.

CURCULIO T ALBUM.

Niger elongatus planiusculus, roſtro mediocri curvato, elytrorum pilis rarioribus minutisſimis albicantibus lineatis; ſubtus albo-ſquamoſus, linea media longitudinali denudata.

DESCR. CAPUT nigrum, punctis minutisſimis: *roſtrum* cylindricum, glabrum, incur-

curvum, vix thorace longius; *antennæ* thorace paulo longiores; *oculi* immerſi. THORAX niger, punctatus, ſubtus albo-ſquamoſus, cylindricus, vel antice parum anguſtatus, latitudine paulo longior, dorſo vix convexo. SCUTELLUM nigrum. ELYTRA thoracis latitudine ſed plus duplo longiora, cylindrico-depresſiuscula, nigra, punctato-ſtriata: in ſingulo interſtitio ſtriarum linea unica longitudinalis ex pilis crasſioribus rarioribus brevisſimis albicantibus, nudis oculis vix conſpicuis, formata. ALÆ albo-hyalinæ, flaveſcentes. STERNUM et ABDOMEN denſe albo-ſquamoſa, linea media longitudinali lata denudata nigra. PEDES nigri, pilis brevioribus rarisſimis albicantibus: *femora* mutica. MAGNITUDO: Curc. tortricem ſere æquiparat.

LOCUS: habitat pasſim rarius.

SYNON. LINN. *Syſt. Nat.* 12. *p.* 609. *N:o* 23. *Faun. Sv. N:o* 594. *Curc. T album.*

OBS. Statura oblongiuscula, ſquamis ſubtus ad latera abdominis denſisſimis albis, et elytrorum pilis per lineas poſitis, a reliquis hujus familiæ optime dignoſcitur. Squamulæ abdominales interdum flavicant.

N:o L.

CURCULIO PARAPLECTICUS.

Elongatus niger, pilis brevisſimis confertisſimis griſeo-flaveſcentibus, elytris apice mucronatis.

DESCR. CAPUT nigrum, pilis brevisſimis

griseo-flavescentibus: *rostrum* thorace paulo longius, cylindricum, vix incurvum; *antennæ* longitudine rostri; *oculi* immersi. THORAX niger, pilis griseo-flavescentibus brevissimis, latitudine longior, capiti elytrisque adnatus, convexo-cylindricus, antice paulo angustatus. SCUTELLUM minutum, griseo-flavescenti-pilosum. ELYTRA nigra, pilis brevissimis griseo-flavescentibus, thorace vix latiora sed quadruplo longiora, punctato-striata, convexo-cylindrica, apice angustata, mucronata. ALÆ elytris paulo longiores, hyalino-flavescentes. STERNUM, ABDOMEN et PEDES nigra, pilis brevissimis griseo-flavescentibus: *femora* mutica. MAGNITUDO: femina, longitudine Curc. arctici sed duplo angustior, est; mas duplo minor.

LOCUS: habitat in Phellandrio aquatico.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 103. N:o 77. Curc. Paraplecticus.*

LINN. *Syst. Nat. II. p. 610. N.o 34. Faun. Sv. N:o 604. Curc. Paraplecticus.*

DE GEER *Inf. 5. p. 224. N:o 18. t. 7. f. 3. Curc. Phellandrii.*

SCÆFF. *Icon. t. 44. f. 1.*

OBS. Pili brevissimi jam magis flavescentes jam magis grisescentes sunt, et interdum deteruntur.

N:o LI.

CURCULIO GRANARIUS.

Elongatus rufo-fuscus, thorace elytrorum longitudine.

DESCR. CAPUT rufo-fuscum: *rostrum* tenue,

nue, cylindricum, ſubrectum, vix thoracis longitudine; *antennæ* roſtro paulo longiores; *oculi* nigri immerſi. THORAX rufo-fuscus, punctatus, latitudine longior, cylindrico-depresſiusculus, elytris adnatus. ELYTRA thoracis longitudine et latitudine, rufa, ſubdepresſa, punctato-ſtriata. ALÆ albo-hyalinæ. STERNUM et ABDOMEN rufo-fusca. PEDES rufi: *femora* mutica. MAGNITUDO: longitudine fere Curc. druparum, roſtro excepto, ſed duplo anguſtior.

LOCUS: habitat in ſegetum ſeminibus.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 103. N:o 74. Curc. Granarius.*

LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 608. N:o 16. Faun. Sv. N.o 587. Curc. Granarius.*

DE GEER *Inſ. 5. p. 238. N.o 25. Curc. Granarius.*

OBS. Interdum magis rufo-teſtaceus, an junior?

N:O LII.

CURCULIO SISYMBRII.

Niger, ſquamulis albis variegatus, depresſiusculus, thorace canaliculato, elytris puncto baſeos elevato nigro.

DESCR. CAPUT nigrum, ſquamulis albis: *roſtrum* glabrum, tenue, cylindricum, incurvum, thorace longius; *antennæ* tenues, nigræ, longitudine roſtri; *oculi* immerſi. THORAX niger, ſubtus et ad latera denſe albo-ſquamoſus, dorſo depresſiusculo, canaliculo longitudinali, antice anguſtatus, transverſim

impressus. SCUTELLUM nullum. ELYTRA nigra, squamulis albis plus minusve variegata, depressiuscula, thorace parum latiora, sed plus duplo longiora, punctato-striata, tuberculo baseos nigro in angulo exteriore, calloque minori postico. ALÆ albo-flavescentes. STERNUM et ABDOMEN nigra, squamulis densis albis. PEDES nigri, squamulis rarioribus albis. MAGNITUDO: præcedenti paulo latior, brevior.

LOCUS: habitat in Sisymbrio amphibio, Upsaliæ rarius.

SYNON. FABR. *Mant. Ins. p. 101. N:o 50. Curt. Sisymbrii.*

N:o LIII.

CURCULIO NIGRIROSTRIS.

Niger, thorace lineis tribus, elytris totis pilis brevissimis virescentibus, rostro mediocri subrecto.

DESCR. CAPUT nigrum: *rostrum* nitidum, cylindricum, longitudine thoracis, vix incurvum; *antennæ* rostro longiores, rufæ, clava cinerea; *oculi* immersi. THORAX subglobosus, niger, pilis rarioribus brevissimis virescentibus densioribus. SCUTELLUM virescens. ELYTRA convexa, oblongo-ovata, thorace paulo latiora et duplo longiora. punctato-striata, pilis densioribus brevissimis virescentibus. STERNUM et ABDOMEN nigra, pilis fuscescentibus. PEDES rufi, vel fusci:

femo-

femora mutica. MAGNITUDO: longitudine fere, fed non latitudine Curc. druparum.

LOCUS: habitat in Scania. Dom. QUENSEL. In Uplandia. Ipfe, rarius.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 100. N:o 44. Curc. Nigriroftris.*

VAR. *β.*

Niger, thorace lineis tribus pilorum virefcentium, elytrorum pilis rufefcentibus virefcentibusque mixtis.

LOCUS: habitat cum var. *α*, cui omnino fimillimus.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 100. N:o 45. Curc. Variabilis.*

N:O LIV.

CURCULIO BOREALIS.

Brunneus, thoracis dorfo lineis alternis grifeis nigrisque pilofis, elytris ovatis: maculis grifeis nigrisque variegatis.

DESCR. CAPUT brunneum: *frons* pilis brevisfimis grifea; *roftrum* nigrum, crasfiufculum, longitudine thoracis, fubincurvum; *antennæ* tenues, roftro longiores, clava nigra; *oculi* nigri, minuti, immerfi. THORAX longitudine latitudinis, convexo-fubglobofus, brunneus: fubtus pili rariores, brevisfimi, grifefcentes; fupra in medio linea dorfalis longitudinalis angufta ex pilis brevisfimis grifefcentibus depresfis orta; tum linea utrinque

paulo latior pilorum adhuc fere breviorum nigrorum, tum iterum utrinque linea pilosa grisea, cui adjacet utrinque linea angusta, pilosa, lateralis, nigra. SCUTELLUM punctiforme, griseum. ELYTRA ovata, convexa, callo postico nullo, subtilissime punctato striata, thorace duplo latiora at vix duplo longiora, subquadrata, brunnea: macula magna subtriangulari communi baseos, pilis omnino brevissimis nigris; postice et ad latera maculis punctisque griseis nigrisque variegata. ALÆ albo-hyalinæ. STERNUM, ABDOMEN et PEDES brunnea, pilis brevissimis rarioribus. MAGNITUDO: præcedenti paulo minor.

LOCUS: habitat ad Muonioniska Bothniæ occidentalis; in Salice arenaria lectus initio mensis Junii a Dom. QUENSEL.

N:o LV.

CURCULIO BIPUNCTATUS.

Oblongo-ovatus niger, villis depressis brevissimis cinereis, macula glabra utrinque elytrorum, antennis, tibiis tarsisque flavescentibus.

DESCR. CAPUT nigrum, villis cinereis: *rostrum* glabrum, longitudine thoracis; *antennæ* flavescentes, rostro vix longiores, clavatæ, in medio geniculatæ; *oculi* vix prominuli, nigri. THORAX niger, villis cinereis, convexo-

vexo-cylindricus, antice parum anguſtatus. SCUTELLUM minutisſimum, cineraſcens. ELYTRA oblongo-ovata, thorace paulo latiora et duplo fere longiora, punctato-ſtriata, nigra, villis cineraſcentibus, macula utrinque in medio magis glabra. ALÆ albo-hyalinæ. STERNUM et ABDOMEN nigra, villis griſeis. PEDES: *tibiæ tarſique* flaveſcentes; *femora* mutica nigra, villis cineraſcentibus. MAGNITUDO: Curc. variantis vix longitudine, ſed dimidia fere latitudine.

LOCUS: habitat in floribus ſalicis.

SYNON. LINN. *Syſt. Nat. II. p. 609. N:o 28. Faun. Sv. N:o 599. Curc. bipunctatus.*

OBS. Infimus articulus antennarum reliquis certe multo longior: obſervatio igitur LINNÆI in Fauna Svecica loco citato emendanda eſt.

N:o LVI.

CURCULIO SCANICUS.

Rufo-teſtaceus, ſterno pectoreque fuscis, roſtro ſubrecto mediocri, elytris punctato-ſtriatis: linea ſuturali maculisque elongatis e pilis brevisſimis albidis.

DESCR. CAPUT rufo-teſtaceum, pilis brevisſimis cinereis: *roſtrum* ſubrectum, longitudine thoracis; *antennæ* roſtro duplo fere longiores; *oculi* nigricantes, ſubimmerſi. THORAX convexus, antice parum anguſtatus; ſupra rufo-teſtaceus pilis rarioribus; ſubtus fuscus pilis denſioribus, cineraſcentibus bre-

brevisſimis. Scutellum minutum, cineraſcens. Elytra oblongo-ovata, thorace vix duplo latiora ſed plus duplo longiora, convexa, ſubtilisſime punctato-ſtriata, rufo-teſtacea, pilis rarioribus brevisſimis cineraſcentibus, linea ad ſuturam et maculis quibusdam ſparſis, linearibus quas formant pili brevisſimi albi. Sternum fuſcum, cinereo-villoſum. Abdomen baſi fuſcum, villis cinereis, apice rufo-teſtaceum. Pedes rufo-teſtacei: *femora* mutica. Magnitudo præcedentem æquiparat.

Locus: habitat in Scania. Dom. Quensel.

N:o lvii.

CURCULIO Majalis.

Oblongo-ovatus, ſubtus capite ſuturaque elytrorum fuſcus, ſupra rufus, villis ſparſis rarioribus cineraſcentibus.

Descr. Caput fuſcum: *roſtrum* thorace paulo longius, cylindricum, ſubincurvum, baſi fuſcum, apice rufum; *antennæ* roſtro paulo longiores rufi; *oculi* nigri, vix prominuli. Thorax ſubtus fuſcus, ſupra rufus, villis paucioribus cineraſcentibus, punctulatus, convexo-ſubcylindricus, longitudine latitudinis. Elytra convexa, thorace fere duplo latiora ſed plus duplo longiora, punctato-ſtriata, rufa, villis cineraſcentibus pasſim ſparſis; ſutura nigra. Sternum et Abdomen fuſca. Pedes rufi: *femora* mutica.

Ma-

Magnitudo: Curc. bipunctato paulo major.
Locus: habitat in floribus salicis, præsertim insulæ Muskön in Sudermannia.

N:o LVIII.

CURCULIO Pineti.

Niger cinereo-pubescens, rostro tenui glabro, elytris pedibusque rufis.

Descr. Caput nigrum, pilis cinereis: *rostrum* glabrum, tenue, curvatum, thorace paulo longius; *antennæ* rostro paulo longiores, rufæ, clava cinerea; *oculi* nigri subimmersi. Thorax latitudine longitudinis, vix antice angustatus, niger, punctatus, pilis brevissimis cinereo-pubescens. Scutellum minutum, cinereum. Elytra convexo-cylindrica, thorace vix latiora sed triplo longiora, punctato-striata, rufa, pilis quibusdam rarioribus brevissimis cinereis. Alæ amplæ, elytris duplo longiores, albo-hyalinæ. Sternum et Abdomen nigra, cinereo-pubescentia. Pedes rufi, rarius fuscescentes: *femora* mutica. Magnitudo: inter minutissimos est, seu Curc. Lemnæ vix latior sed dimidio longior.

Locus: habitat in pino sylvestri Uplandiæ sat frequens.

SYNON. Fabr. *Mant. Inf. p.* 101. *N:o* 57. *Curc. Malvæ.*

Obs. Convenit huic omnino descriptio Fabriciana. Cel. Auctor me etiam litteris certiorem fecit hanc spe-

ſpeciem ſuum esſe Curc. Malvæ: ſed cum in malvis caſu tantummodo occurrat, nomen ejus mutavi. Unicum thorace ruſeſcente notatum vidi.

N:o LIX.

CURCULIO FUSCIROSTRIS.

Niger, pilis brevisſimis griſeo-holoſericeis pubeſcens, roſtro glabriore arcuato, thorace abdomine dimidio anguſtiore, elytris ovatis.

DESCR. CAPUT nigrum, pube brevisſima griſeo-holoſericea; *roſtrum* glabriusculum, tenue, arcuatum, thorace paulo longius; *antennæ* ruſeſcentes, apice ſæpius cinereæ, roſtro paulo longiores; *oculi* ſubimmerſi. THORAX convexo-cylindricus, antice vix anguſtatus, longitudine latitudinis, niger, pube denſa griſeo-holoſericea. SCUTELLUM nullum. ELYTRA thorace duplo, at vix duplo longiora, convexo-ovata, ſtriata, nigra, pube denſa griſeo-holoſericea. ALÆ amplæ, albo-hyalinæ. STERNUM et ABDOMEN nigra, griſeo-holoſericeo-pubeſcentia. PEDES ruſeſcentes, rarius nigri: *femora* mutica. MAGNITUDO: Curc. bipunctato dimidio minor.

LOCUS: habitat pasſim minus frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 100. N:o 41. Curc. Fuſciroſtris.*

OBS.

Obs. Conveniret omnino descriptio Fabriciana nisi lineæ albidæ ad suturam in omnibus nostris defuissent. Celeb. vero Auctor ipse litteris me de specie certiorem fecit.

N:o LX.

CURCULIO Picirostris.

Cylindricus piceus cinereo-pubescens, rostro dimidiato glabro, thorace elytrorum latitudine.

Descr. Caput obscure piceum, cinereo-pubescens: *rostrum* longitudine thoracis, vix incurvatum, basi cinereo-pubescens, apice glabro dilute piceo; *antennæ* rostro paulo longiores, rufescentes; *oculi* subimmersi. Thorax piceus, pube brevissima cinerea, subtilissime punctatus, latitudine longitudinis. Scutellum minutissimum, cinereum. Elytra convexo-cylindrica, latitudine thoracis sed duplo longiora, picea, subtilissime striata, pube brevissima cinerea tecta. Alæ albo-hyalinæ. Sternum et Abdomen obscure picea, pube densa cinerea. Magnitudo: Curc. Lemnæ vix duplo major.

Locus: habitat in capitulis trifolii in Svecia australi.

SYNON. Fabr. *Mant. Inf. p.* 101. *N:o* 47. *Curc. Picirostris.*

Obs. Differt a præcedenti thorace latiore et statura magis cylindrica.

N:o

N:o LXI.

CURCULIO Fagi.

Saltatorius elongatus, niger lævis nitidus, antennis ſubrectis, pedibus, femoribus poſticis exceptis, flavicantibus.

Descr. Caput nigrum, punctatisſimum: *roſtrum* thoracis longitudine, tenue, incurvum; *antennæ* roſtro vix longiores, flaveſcentes, ſubrectæ; *oculi* immerſi. Thorax punctatisſimus, convexus, ſubcylindricus, niger, longitudine latitudinis. Scutellum nullum. Elytra convexo-ſubcylindrica, nigra, profunde punctato-ſtriata, thorace vix latiora at triplo longiora. Alæ albo-hyalinæ. Sternum et Abdomen nigra. Pedes teſtacei, mutici; poſtici elongati ſaltatorii, femoribus incrasſatis fuscis. Magnitudo: Curc. Calcaris latitudine ſed vix longitudine.

Locus: habitat in Uplandia rarius; in Svecia auſtrali magis frequens.

SYNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 110. N:o 158. Curc. Fagi.* Linn. *Syſt. Nat 11.. p. 611. N:o 44. Faun. Sv. N:o 609. Curc. Fagi.*

N:o LXII.

CURCULIO Salicis.

Saltatorius niger, elytrorum fasciis duabus ſuturaque baſeos albo-piloſis.

Descr. Caput nigrum: *roſtrum* longitudine thoracis; *antennæ* ſubrectæ, primo articu-

ticulo vix longiore; *oculi* subimmersi. Thorax convexus, punctatus, antice angustatus, subtus pilis quibusdam brevissimis cinerascentibus. Scutellum minutum, albopilosum. Elytra striata, punctis impressis obsoletioribus, thorace vix duplo latiora at plus duplo longiora, convexo-ovata, macula suturali baseos fasciisque duabus pilorum brevissimorum albidorum linearibus. Alæ amplæ, elytris duplo longiores, albo-hyalinæ, nervis obscurioribus. Sternum et Abdomen nigra, pilis quibusdam rarissimis brevissimis cinerascentibus. Pedes nigri: *femora* mutica, postica incrassata saltatoria; *tarsi* flavescentes. Magnitudo: Curc. Ilicis dimidio fere minor.

Locus: habitat in salicibus et betula.

SYNON. Fabr. *Mant. Inf. p. 110. N:o 154. Curc. Salicis.*

Linn. *Syst. Nat. 11. p. 611. N:o 43. Faun. Sv. N:o 610. Curc. Salicis.*

Var. *β.*

Niger, elytrorum macula magna communi triangulari baseos fasciaque pilorum brevissimorum albidorum lineari postica.

Locus: habitat cum præcedente, cui simillimus, minus frequens.

Obs. Pili albidi interdum rubescentibus mixti sunt.

N:o LXIII.

CURCULIO Jota.

Saltatorius niger, ſcutello albo.

Descr. Caput nigrum, punctulatum: *roſtrum* longitudine thoracis, incurvum; *antennæ* tenues, ſubrectæ, concolores; *oculi* ſubimmerſi. Thorax convexus, antice anguſtatus, punctatisſimus, niger. Scutellum punctiforme, pilis minutisſimis niveum. Elytra nigra, diſtincte punctato-ſtriata, convexa, thorace duplo latiora et longiora. Alæ fusco-hyalinæ, amplæ. Sternum, Abdomen et Pedes nigra, immaculata: *femora* mutica, clavata. Magnitudo præcedentis.

Locus: habitat in arboribus Uplandiæ.

STNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 100. N:o 157. Curc. Jota.*

N:o LXIV.

CURCULIO Saliceti.

Saltatorius niger, antennis tibiisque flaveſcentibus, elytris ovatis.

Descr. Caput nigrum: *roſtrum* longitudine thoracis, tenue, incurvum; *antennæ* ſubrectæ, roſtro longiores, ſubferrugineæ, clava fuſceſcente; *oculi* immerſi. Thorax niger, convexo-ſubcylindricus, punctulatus. Scutellum minutisſimum, concolor. Elytra nigra, thorace duplo latiora at vix duplo longiora, convexo-ovata, punctato-ſtriata,

ta, pilis quibusdam, vix oculo armato conſpicuis, rarioribus brevisſimis. ALÆ fusco-hyalinæ. STERNUM et ABDOMEN nigra. PEDES ſaltatorii: *femora* nigra, mutica; *tibiæ* ferrugineæ; *tarſi* fusceſcentes. MAGNITUDO: inter minutisſimos eſt et præcedentibus triplo minor, ſeu vix Curc. Lemnæ major.

LOCUS: in ſalicibus ad Hille Geſtriciæ plures menſe Julio inveni, nunquam alibi.

OBS. Differt a præcedentibus magnitudine et elytris magis ovatis.

PHALANX SECUNDA: SUBQUADRATI.

N:O LXV.

CURCULIO PERICARPIUS.

Niger opacus, ſupra pilis ſquamulisque minutisſimis rarioribus, ſubtus denſioribus cineraſcentibus; roſtro breviore crasſiore, thorace bituberculato, elytris convexis.

DESCR. FEMINÆ: CAPUT nigrum, pilis ſquamulisque brevisſimis, cineraſcentibus, rarioribus: *roſtrum* crasſiusculum, longitudine vix thoracis, ſubincurvum; *antennæ* roſtro duplo fere longiores; *oculi* prominuli. THORAX convexus, punctulatus, niger, ſupra pilis ſquamulisque minutisſimis, ſubtus denſioribus, cineraſcentibus, antice anguſtatus, tuberculo utrinque baſeos. SCUTELLUM nullum. ELYTRA convexa, thorace haud duplo longiora et latiora, ſtriata, inter-

terſtitiis ſtriarum ſubrugoſis, nigra, pilis ſquamulisque minutisſimis, rarioribus, cineraſcentibus, ad ſuturam baſeos ſæpe paulo albidioribus denſioribus, maculam diſtinctam minutam formantibus. Alæ albo-hyalinæ, nervis maculaque marginali flaveſcentibus. Sternum et Abdomen nigra, ſquamulis denſis cineraſcentibus. Pedes fusco-rufeſcentes: *femora* mutica. Magnitudo: Curc. Fraxini æquiparat.

Descr. Maris: duplo minor, oculis vix prominulis, elytris profundius ſtriatis, pedibus magis rufeſcentibus.

Locus: habitat in pratis paſſim.

Synon. Fabr. *Mant. Inſ. p. 101. N:o 49.*
Linn. *Syſt. Nat. 11. p. 608. N:o 31. Faun. Sv. N:o 602.*

N:o LXVI.

CURCULIO Affinis.

Niger, roſtro tenui mediocri, thorace valde convexo utrinque tuberculato, margine antico elevato, elytris brevioribus ſtriatis, interſtitiis punctatis.

Descr. Caput nigrum: *roſtrum* tenue, thorace paulo longius, ſubincurvum; *antennæ* tenues, roſtro longiores; *oculi* ſubprominuli. Thorax niger, ſubtilisſime punctatus, valde convexus ut fere globoſus, margine antico elevato, utrinque ad latera tuberculo minutisſimo, ſubtus ſquamulis cineraſcentibus. Scutellum nullum. Elytra nigra, thorace

race vix plus dimidio latiora et longiora, convexa, ſtriata, interſtitiis ſtriarum profunde punctatis. ALÆ albo-hyalinæ, nervis obſcurioribus. STERNUM, ABDOMEN et PEDES nigra, ſquamulis rarioribus cineraſcentibus: *femora* mutica. MAGNITUDO: Curc. didymo vix major.

LOCUS: habitat in Weſtrogothia. Dom. GYLLENHAL.

OBS. Differt a C. pericarpio, roſtro longiore, thorace magis convexo, margine antico elevato, &c.

N:o LXVII.

CURCULIO ASSIMILIS.

Niger opacus, pilis brevisſimis ſubtus denſioribus cineraſcentibus, roſtro tenui mediocri, thorace ſubdepresſo bituberculato, lineola longitudinali.

DESCR. CAPUT nigrum: *roſtrum* incurvum, tenue, thorace dimidio fere longius; *antennæ* roſtro paulo longiores; *oculi* ſubimmerſi. THORAX ſubdepresſus, niger, ſupra pilis brevisſimis rarioribus, ſubtus denſioribus cineraſcentibus, ſubtilisſime punctatus, antice valde anguſtatus, margine anteriore parum elevato, ſulculo longitudinali tuberculoque minutisſimo utrinque laterali. SCUTELLUM nullum. ELYTRA convexo-ovata, thorace duplo longiora at vix duplo latiora, nigra, opaca, pilis brevisſimis rarioribus cineraſcentibus, ſtriis lævibus: interſtitiis, (oculo ar-

armato visis), subtilissime confertissimeque punctatis; callo baseos in angulo exteriore. ALÆ amplæ, albo-hyalinæ, nervis obscurioribus. STERNUM et ABDOMEN nigra pilis densioribus brevissimis cinerascentibus. PEDES nigri, pilis brevissimis cinerascentibus. MAGNITUDO: Curc. didymo vix major.

LOCUS: habitat passim minus frequens.

OBS. Differt a Curc. pericarpio rostro longiore tenuiore, alia villositate et statura magis oblonga; a Curc. Affini; thorace minus convexo, elytris longioribus et pubescentia alia.

N:o LXVIII.

CURCULIO QUERCICOLA.

Ovatus planiusculus niger, pilis cinerascentibus supra rarioribus, rostro tenui mediocri, thorace bituberculato basi foveolato, elytris striatis: macula parva communi baseos e squamulis albis.

DESCR. CAPUT nigrum, pilis rarioribus cinerascentibus minutissimis: *rostrum* tenue, incurvum, thorace paulo longius; *antennæ* rostro longiores; *oculi* vix prominuli. THORAX niger, pilis rarioribus minutissimis cinerascentibus, vix convexus, antice angustatus, foveola baseos in medio et tuberculo minuto in utroque latere. SCUTELLUM nullum. ELYTRA subdepressa, ovata, leviter striata, thorace parum latiora sed duplo longiora, nigra, pilis rarioribus minutissimis cine-

cinerascentibus plus minusve nebulosa: macula parva oblonga communi baseos e squamulis densis albis. ALÆ albo-hyalinæ. STERNUM et ABDOMEN nigra, pilis latioribus vel squamulis cinerascentibus. PEDES nigri pilis rarioribus cinerascentibus: *femora* mutica, MAGNITUDO: Curc. didymo paulo minor.

LOCUS: habitat in quercu Uplandiæ, initio mensis Augusti.

OBS. Differt a Curc. pericarpio, rostro longiore, corpore depressiusculo et thorace basi foveolato; a Curc. Affini: elytris longioribus, corpore depressiusculo: a Curc. assimili: alia villositate et thorace basi tantum foveolato: a sequenti: rostro tenuiore thoraceque bituberculato.

N:o LXIX.

CURCULIO QUADRICORNIS.

Niger, supra pilis squamulisque rarioribus, subtus densioribus cinerascentibus, rostro breviore crassiusculo, thorace quadrituberculato.

DESCR. CAPUT nigrum, squamulis cinerascentibus: *rostrum* vix thoracis longitudine, crassiusculum, curvatum; *antennæ* rostro duplo fere longiores; *oculi* prominuli. THORAX subconvexus, antice parum angustatus, niger, subtus pilis squamulisque densioribus, supra rarioribus cinerascentibus, foveola media longitudinali tuberculisque quatuor eleva-

tis, quorum bina fere in medio, lateralia paulo majora, bina collaria magis approximata minutisſima. SCUTELLUM nullum. ELYTRA nigra, pilis ſquamulisque cineraſcentibus rarioribus, ſtriata, parum convexa, thorace fere duplo latiora et longiora. ALÆ albo-hyalinæ, abdomine duplo longiores. STERNUM ABDOMEN et PEDES nigra, pilis ſquamulisque denſioribus griſeſcentibus: *femora* mutica. MAGNITUDO: Curc. didymum æquiparat.

LOCUS: habitat in Uplandia minus frequens.

OBS. Statura omnino Curc. didymi ſed optime diſtinguitur roſtro crasſiore breviore, thorace quadrituberculato, elytris minus convexis et femoribus muticis.

N:O LXX.

CURCULIO QUERCUS.

Gibbus fuscus, pube cinerea, elytris rufis: fasciis transverſalibus linearibus cinereo-piloſis; roſtro inflexo.

DESCR. CAPUT fuſcum, pube cinerea: *roſtrum* inflexum, glabriusculum thorace longius, apice ſæpe rufeſcente; *antennæ* tenues, rufeſcentes, clava cinerea: *oculi* immerſi, THORAX punctatus, convexus, antice valde anguſtatus, rufo-fuſcus, cinereo-pubeſcens, dorſo, (lineola longitudinali in medio excepta), glabriore. SCUTELLUM nullum. ELYTRA gibba, thorace vix duplo latiora et longiora, poſtice anguſtata, antice callo in angulo ex-

exteriore, punctato-ſtriata, rufa, faſciis tribus undulatis linearibus piloſis cineraſcentibus, quarum prima obliqua, ſecunda et tertia transverſales; ad ſuturam baſeos ſæpe ſquamulæ pauciores albidæ. Alæ amplæ, elytris duplo longiores, fusco-hyalinæ nervis obſcurioribus. Sternum et Abdomen rufo-fusca, pube cinerea. Pedes rufeſcentes pube rariore cinerea: *femora* mutica. Magnitudo: Curc. didymo paulo minor.

Locus: habitat in foliis quercus Uplandiæ frequens.

SYNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 102. N:o 67. Curc. Quercus. p. 101. N:o 52. Curc. Rana.*
Linn. *Syſt. Nat. 11. p. 609. N:o 25. Faun. Sv. N:o 596. Curc. Quercus: male deſcriptus.*

Var. β.

Rufo-fuscus, pube rara cinerea, roſtro nigro, elytris rufis: lineola ſuturali baſeos ſquamoſa alba.

Locus: habitat cum præcedente, rarius.

N:o lxxi.

CURCULIO Lythri.

Gibbus glaber nitidus niger, elytrorum fascia media abbreviata, puncto poſtico pedibusque teſtaceis.

Descr. Caput nigrum: *roſtrum* tenue, thorace longius, ſubrectum; *antennæ* tenues, roſtro longiores, teſtaceæ, clava cinerea; *oculi* ſub-

ſubimmerſi. THORAX convexus, antice valde anguſtatus, niger, pilis quibusdam, oculis nudis omnino inconſpicuis, rarioribus cineraſcentibus. SCUTELLUM nullum. ELYTRA gibba, thorace fere duplo longiora et latiora, punctato-ſtriata, pilis quibusdam, oculis nudis omnino inconſpicuis, rarioribus cineraſcentibus; puncto apicis fasciaque media marginem exteriorem haud attingente, oblonga teſtacea. ALÆ albo-hyalinæ. STERNUM et ABDOMEN nigra, pilis quibusdam breviſſimis rarioribus cineraſcentibus. PEDES teſtacei: genicula interdum fuſceſcentia; *femora* mutica. MAGNITUDO: dimidio fere minor eſt præcedenti.

LOCUS: habitat in Lythri Salicariæ floribus Uplandiæ.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 102. N:o 61. Curc. Lythri.*

VAR. *β.*

Niger, elytrorum disco, antennarum baſi pedibusque teſtaceis.

LOCUS: habitat rarior cum præcedente, cui, colore elytrorum excepto, omnino ſimillimus.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 101. N:o 48. Curc. Salicariæ.*

OBS. Differt a Curc. Quercus, cui ſtatura ſimilis, magnitudine, habitatione, roſtro rectiore aliaque villoſitate: fasciæ ſcilicet elytrorum in illo pubeſcentes.

N:o LXXII.

CURCULIO HYPOLEUCUS.

Globosus niger, supra glaberrimus, subtus dense albo-squamosus, rostro longiore inflexo.

DESCR. CAPUT supra nigrum, nitidum, subtus albo-squamosum: *rostrum* tenue, glabrum, thorace longius, sæpius sub pectore inflexum; *antennæ* rostro longiores; *oculi* vix prominuli. THORAX subtilissime punctatus, niger, supra glaber nitidus, subtus albo-squamosus, brevis, valde convexus, postice longitudine multo latior antice angustatus. SCUTELLUM minutum, subrotundum. ELYTRA nigra, nitida, striis lævibus, valde gibba, thorace duplo longiora, antice thoraci adnata, vix illo latiora, in medio latissima, apice angustata. ALÆ breviores, albidæ. STERNUM et ABDOMEN nigra, dense albo-squamosa. PEDES nigri, squamulis minus densis, magis elongatis albidis. MAGNITUDO: latitudine Curc. didymi sed brevior.

LOCUS: habitat in arena mobili ad Scanoram Scaniæ. Dom. QUENSEL.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 101. N:o 56. Curc. Craccæ. Syst. Ent. p. 132. N:o 29. Curc. Globosus.* QUENSEL. *Diss. Ignot. Inf. Spec. p. 16. Curc. Hypoleucus.*

OBS. Minime Curc. Craccæ est LINNÆI et DE GEERII: globositate facile ab omnibus Curculionibus Sveciæ distinguitur.

N:o LXXIII.

CURCULIO Erysimi.

Niger lævis, roſtro longiore tenui, thorace bituberculato, elytris cyaneis profunde punctato-ſtriatis.

Descr. Caput nigrum: *roſtrum* thorace dimidio longius, incurvum, tenue; *antennæ* roſtro longiores; *oculi* vix prominuli. Thorax niger, punctis excavatis, antice anguſtatus, transverſim impresſus, baſi tuberculo utrinque laterali minuto. Scutellum nullum. Elytra cyanea, nitida, profunde punctato-ſtriata, ovata, thorace vix duplo longiora et latiora, antice in angulo exteriore callo majore. Alæ albo-hyalinæ. Sternum Abdomen et Pedes nigra: *femora* mutica. Magnitudo: Curc. Lemnæ vix dimidio major.

Locus: habitat in floribus minus frequens.

Synon. Fabr. *Mant. Inſ. p. 101. N:o 54. Curc. Eryſimi.*

Obs. Cel. Fabricius ipſe mihi litteris indicavit hanc ſpeciem ſuum esſe Curc. Eryſimi; ego vero thoracem vireſcentem nunquam vidi, ſæpius autem elytra illo colore tincta.

N:o LXXIV.

CURCULIO FLORALIS.

Niger, ſupra pilis brevisſimis cineraſcentibus ſquamulisque rarioribus albidis, ſubtus et ad lineam ſuturalem elytrorum ſquamulis denſioribus, roſtro mediocri tenui, thorace tuberculato.

Descr. CAPUT nigrum, ſubtus ſquamulis albidis: *roſtrum* tenue, curvatum, thorace longius; *antennæ* tenues, roſtro longiores; *oculi* ſubimmerſi. THORAX ſubdepresſus, linea longitudinali nulla, tuberculo utrinque minuto, niger, ſupra pilis, ſubtus ſquamulis cineraſcentibus minutisſimis. SCUTELLUM nullum. ELYTRA thorace dimidio latiora et longiora, parum convexa, punctato-ſtriata, nigra, pilis brevisſimis cineraſcentibus ſquamulisque albidis, alibi rarioribus, ad ſuturam vero in lineam communem longitudinalem condenſatis. ALÆ lacteæ, elytris duplo longiores. STERNUM et ABDOMEN nigra, ſquamulis denſis albidis. PEDES nigri, pilis brevisſimis cineraſcentibus. MAGNITUDO: Curc. Lemnæ vix duplo major.

LOCUS: habitat in floribus arborum, præſertim Padi, tempore vernali frequens.

OBS. Differt a Curc. Asſimili alia villoſitate, elytris brevioribus et thorace haud canaliculato; a Curc. quercicola alia villoſitate, thorace baſi haud foveolato et antice minus anguſtato.

N:o LXXV.

CURCULIO LEMNÆ.

Niger lævis opacus, elytris profunde punctato-ſtriatis, roſtro mediocri craſſiuſculo, ſterno abdomineque punctatisſimis.

DESCR. CAPUT nigrum: *roſtrum* craſſiuſculum, longitudine thoracis; *antennæ* fuſcæ clava nigra, roſtro longiores; *oculi* ſubimmerſi. THORAX niger, ſubcylindricus, vix antice anguſtatus, punctis minutisſimis excavatis. SCUTELLUM nullum. ELYTRA nigra, ſubovata, parum convexa, profunde punctato-ſtriata, thorace duplo longiora at vix duplo latiora. ALÆ amplæ, albo-hyalinæ, elytris duplo longiores. STERNUM et ABDOMEN nigra, punctis minutisſimis confertisſimis excavatis. PEDES nigri: *femora* inermia. MAGNITUDO: minutisſimus eſt congenerum ſeu magnitudine ſeminis brasſicæ.

LOCUS: habitat in Lemna, et ad ripas lacuum Uplandiæ frequens menſe Junio et Julio.

OBS. Habitatione, exiguitate et lævitate a reliquis diſtinguitur; in argilla currentes ſæpe veluti griſeo-faſciati vel punctati videntur.

SE-

SECTIO TERTIA:

Breviroſtres femoribus dentatis.

N:o LXXVI.

CURCULIO NUBILUS.

Apterus niger cinereo-ſquamoſus, roſtro tereti, thorace anguſtiore, elytris gibboſis punctato-ſtriatis: maculis plurimis denudatis nigris longitudinalibus.

DESCR. CAPUT nigrum, cinereo-ſquamoſum; *roſtrum* teretiuſculum, vix longitudine thoracis, apice incraſſatum; *antennæ* fuscæ, longitudine capitis thoracisque; *oculi* nigri immerſi. THORAX niger, griſeo-ſquamoſus,. in medio transverſim ſubgibboſus, abdomine triplo fere anguſtior. SCUTELLUM parvum, cineraſcens. ELYTRA ſubgibboſa, poſtice acutiuscula, punctato-ſtriata, nigra: ſquamulis cinereis, maculisque plurimis parvis ſubquadratis denudatis nigris longitudinalibus utrinque quintuplici ſerie. STERNUM et ABDOMEN nigra, cinereo-ſquamoſa. PEDES nigri, pilis vel ſquamulis rarioribus cineraſcentibus: *femora* quatuor anteriora ſubdentata, poſteriora nodoſa, mutica. MAGNITUDO: Curc. Colon æquiparat.

LOCUS: habitat in Weſtrogothia. Dom. GYLLENHAL.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 122. N:o 274. Curc. Nubilus.*

BONSDORFF. *Curc. p. 38. N:o 31. Curc. Teſſulatus.*

N:o

N:o LXXVII.

CURCULIO Ligustici.

Apterus niger, pilis cineraſcentibus, roſtro carinato, elytris ſcabriusculis, lateribus punctato-ſtriatis.

Descr. Caput nigrum pilis cineraſcentibus: *roſtrum* vix longitudine thoracis, craſſum, ſcabrum, carina longitudinali; *antennæ* capitis thoracisque longitudine; *oculi* nigri, parum prominuli. Thorax niger, pilis cineraſcentibus, in medio transverſim gibboſus, punctis elevatis nigris, ſcaber. Scutellum nullum. Elytra thorace fere duplo latiora at plus duplo longiora, ovata, valde convexa, nigra, pilis brevisſimis cineraſcentibus, punctisque minutis elevatis nigris confertisſime temere ſparſis; latera ſæpius obſolete punctis regulariter impresſis ſtriata. Sternum et Abdomen nigra, pilis brevisſimis cineraſcentibus. Pedes nigri, plantis fuſcis; *femora* clavato-denticulata. Magnitudo: paulo major eſt præcedenti.

Locus: habitat in Liguſtico Leviſtico ſat frequens.

SYNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 122. N:o 273. Curc. Liguſtici.*
Linn. *Syſt. Nat. p. 615. N:o 68. Faun. Sv. N:o 621. Curc. Liguſtici.*
De Geer *Inſ. 5. p. 218. N:o 10. Curc. Liguſtici.*

Obs. Cum præcedente ab ill. Linnæo confuſus videtur: hinc maculas fuſcas longitudinales in Faun. Sv. p. 182 illi tribuit; bene tamen diſtinctus eſt: differt enim

roſtro

roſtro carinato, et dorſo elytrorum haud punctato-ſtriato. Magnitudine et colore huic ſimillimus e Germania mihi a Dom. SCHNEJDER miſſus, quem in Muſeo meo *Mucronatum* nominavi, et ita deſcripſi: *Apterus oblongo-ovatus niger, pilis brevisſimis cinereis, punctis vagis elevatis ſcaber, elytris convexis poſtice anguſtatis, apice obtuſe mucronatis, femoribus muticis;* quibus notis a Curc. Liguſtici ſatis diſtinguitur.

N:o LXXVIII.

CURCULIO SULCATUS.

Apterus ovatus niger, elytrorum lineis elevatis crenulatis: maculis punctisque piloſis ferrugineo-æneis.

DESCR. CAPUT nigrum; *roſtrum* thorace vix dimidio longius, ſcabrum, apice incraſſatum; *antennæ* capite thoraceque paulo longiores; *oculi* ſubimmerſi. THORAX convexus, in medio transverſim gibbus, latitudine longitudinis, abdomine duplo fere anguſtior, punctis elevatis ſcaber, niger; oculo armato hic ut in reliquo corpore pili brevisſimi cineraſcentes adſperſi conſpiciuntur. SCUTELLUM nullum. ELYTRA thorace duplo longiora, nigra, ſtriis elevatis crenulatis: pili brevisſimi æneo-ferruginei in punctis maculisque temere ſparſis; ſubtus lineæ alternæ nigræ flavæque. STERNUM nigrum. ABDOMEN ſubtus nigrum, dorſo flavo. PEDES nigri: *femora* omnia clavata, acute dentata. MAGNITUDO: Curc. nubilo paulo minor.

LOCUS: habitat in Svecia auſtrali.

SYNON. Fabr. *Mant. Inf. p. 122. N:o 276. Curc. Sulcatus.*
De Geer *Inf. 5. p. 217. N.o 9. Curc. Grifeo-punctatus.*
Bonsdorff *Curc. p. 40. N.o 34. Curc. Sulcatus.*

Var. β.

Niger, elytrorum punctis maculisque pilofis ferrugineo-æneis, pedibus rufis, femoribus muticis.

Locus: habitat in Bothnia occidentali frequens. Dom. Quensel.

SYNON. Bonsdorff *Curc. p. 36. N:o 28. Curc. Morio.*

Obs. Hanc varietatem fpeciem diftinctam esfe ad fidem pronum videtur, cum locus natalis et armatura femorum non confpirent. Elytra etiam in var. β interdum paulo glabriora, punctato-ftriata. Attamen characteres certi et conftantes, quos eruere nullo modo valui, impediunt quo minus illos, præeunte Cel. Bonsdorff, (qui individua detrita hujus varietatis forfitan defcripfit), feparare posfim. Pedes rarius nigricant.

N:o lxxix.

CURCULIO Ovatus.

Apterus niger lævis, thorace fcabro, elytris punctato-ftriatis, antennis pedibusque piceis.

Descr. Caput nigrum, fcabriusculum: *roftrum* thorace duplo brevius, cylindricum; *antennæ* piceæ, longitudine dimidii corporis; *oculi* laterales, nigri, fubimmerfi. Thorax niger, fcaber, fubovatus. Scutellum nullum.

lum. Elytra nigra, nitida, convexa, ovata, punctato-ſtriata, thorace duplo latiora. Sternum et Abdomen nigro-picea. Pedes picei: *femora* obſcuriora, acute dentata. Magnitudo: triplo præcedenti minor.

Locus: habitat in arbuſtis frequens.

SYNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 123. N:o 287. Curc. Ovatus.*
Linn. *Syſt. Nat. 11. p. 615. N:o 69. Faun. Sv. N.o 626. Curc. Ovatus.*
De Geer *Inſ. 5. p. 219. N:o 11. Curc. Roſæ.*
Bonsdorff *Curc. p. 35. N:o 25. Curc. Ovatus.*

Obs. Oculo bene armato, pilis quibusdam rarioribus brevisſimis cineraſcentibus adſperſus videtur. Differt a Curc. Sulcato magnitudine triplo minore, elytris immaculatis, &c.

N:o LXXX.

CURCULIO Carinatus.

Apterus niger, pilis griſeis ſparſis, roſtro cylindrico, elytris profunde punctato-ſtriatis, dorſo planiusculis, apice obtuſisſimis carinatis.

Descr. Caput nigrum, pilis griſeis: *roſtrum* thorace brevius, cylindricum, apice incrasſato; *antennæ* capite triplo longiores; *oculi* vix prominuli. Thorax convexus, in medio latior, vix abdomine duplo anguſtior, niger, punctis elevatis ſcaber, pilis brevibus rarioribus griſeis. Scutellum nullum. Elytra nigra, maculis punctisque griſeo-piloſis ſparſis, profunde punctato-ſtriata, dorſo

 pla-

planiuscula. apice obtusisſima, lateribus compresſis carinam formantibus. STERNUM et ABDOMEN nigra, pilis brevibus rarioribus griſeis. PEDES: *tibiæ* et *tarſi* fusceſcentes; *femora* nigra, clavata, annulo cinereo, anteriora acute dentata, reliqua ſubdentata. MAGNITUDO: Curc. ſulcatum æquiparat.

LOCUS: habitat in Svecia auſtrali rarius.

N:o LXXXI.

CURCULIO ASPERATUS.

Apterus niger, denſe cinereo-ſquamoſus, elytrorum ſetis brevisſimis lineatis.

DESCR. CAPUT nigrum, cinereo-ſquamoſum: *roſtrum* ſupra planiusculum, apice nudum, thorace paulo brevius; *antennæ* ruſeſcentes capitis thoracisque longitudine; *oculi* minuti, ſubimmerſi, nigri. THORAX niger, denſe cinereo-ſquamoſus, ſcabriusculus, abdomine plus duplo anguſtior, in medio transverſim gibboſus, unde quaſi tuberculum utrinque laterale. SCUTELLUM nullum. ELYTRA cinereo-ſquamoſa, convexa, apice acutiuscula, punctato-ſtriata: in ſingulis ſtriarum interſtitiis ſetæ erectæ, brevisſimæ, ſimplici ſerie. STERNUM et ABDOMEN cinereo-ſquamoſa. PEDES ferrugineo-cineraſcentes: *femora* dentata. MAGNITUDO: Curc. ovato vix major.

LOCUS: habitat Upſaliæ rarius primo vere ſub ſiccis ſoliis. Dom. BONSDORFF.

SYNON. Bonsdorff *Curc. p. 34. N:o 24. Curc. Asperatus.*

Obs. Squamulæ cinereæ difficile, ſetæ vero erectæ facilius deteruntur.

N:o LXXXII.

CURCULIO Pyri.

Alatus niger, pilis denſis brevisſimis aureo-igneis, elytris amplis poſtice gibboſis, antennis femoribusque rufis.

Descr. Caput nigrum, aureo-igneo-piloſum: *roſtrum* thorace brevius, ſupra planiusculum; *antennæ* capitis thoracisque longitudine, rufæ, clava fusca: *oculi* minuti, nigri. Thorax niger, aureo-igneo-piloſus, ſubcylindricus, punctulatus, elytris triplo fere anguſtior. Scutellum minutisſimum. Elytra nigra, pilis brevisſimis aureo-igneis, punctato-ſtriata, amplisſima, capite thoraceque duplo longiora, maxime convexa, apice gibba acutiuscula. Alæ amplæ, albo-hyalinæ, nervis obſcurioribus. Sternum et Abdomen nigra, piſis aureo-igneis. Pedes rufi: *femora* ſæpius mutica, rarius ſubdentata. Magnitudo: *femina* magnitudine fere Curc. ſulcati; *mas* paulo minor.

Locus: habitat in foliis pyri ſat frequens.

SYNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 122. N:o 281. Curc. Pyri.*
Linn. *Syſt. Nat. 11. p. 615. N:o 72. Faun. Sv. N:o 182. Curc. Pyri.*
De Geer *Inſ. 5. p. 246. N:o 34. Curc. Pyri.*
Bonsdorff *Curc. p. 24. N:o 8. Curc. Pyri.*
Schæff. *Icon. t. 2. f. 11.*

Obs.

Obs. Pili colore ſæpe variant, jam aureo-ignei, jam fusco-vireſcentes, rarius fusco-cineraſcentes, et facile deteruntur, unde plus minusve niger evadit, ut in var. *β*. Cel. Bonsdorff.

N:o LXXXIII.

CURCULIO Mali.

Alatus niger griſeo-pubeſcens, roſtro canaliculato, antennis crasſioribus pedibusque teſtaceis.

Descr. Caput nigrum, pilis brevisſimis griſeis: *roſtrum* thorace brevius, ſulculo longitudinali; *antennæ* crasſiusculæ, longitudine vix dimidii corporis, apice fuscæ, ſubclavatæ; *oculi* minuti, parum prominuli. Thorax niger, pilis brevisſimis griſeis, ſubcylindricus, punctulatus, elytris haud multum anguſtior. Scutellum minutum albidum. Elytra cylindrica, convexa, thorace duplo fere longiora, punctato-ſtriata, nigra, pilis brevisſimis griſeis. Alæ longiores, hyalinæ, parum fusceſcentes. Sternum et Abdomen nigra, pilis brevisſimis griſeis. Pedes teſtacei, rarius ferruginei: *femora* dentata. Magnitudo: Curc. Tortrice vix major.

Locus: habitat in Svecia auſtrali.

SYNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 122. N:o 282. Curc. Mali.*

Bonsdorff *Curc. p. 26. N:o 11. Curc. Padi. p. 26. N:o 10. Curc. Rufipes.*

Ob-

Obs. Pili grifei paulifper æneo fubrubefcunt, fæpe etiam deteruntur, in eoque ftatu a Cel. Bonsdorff fub nomine *C. Rufipedis*, ut plane verofimile videtur, defcriptus; varietas vero minor *Curç. rufipedis*, cui tribuit femora mutica, ad *Curc. fulvipedem*, pari modo detritum, forfan fpectat. *Curculionem rufipedem* Linnæi, ob defcriptionis ambiguitatem, haud difcernere posfum.

N:o LXXXIV.

CURCULIO Cervinus.

Alatus niger, fquamulis grifeis fubtus denfioribus, antennis tenuioribus.

Descr. Caput nigrum, fquamulis paucioribus grifeis: *roftrum* thorace brevius, canaliculatum; *antennæ* dimidia corporis longitudine. Thorax fnbcylindricus, punctulatus, niger, grifeo-fquamofus, linea utrinque dorfali magis denudata. Scutellum albicans. Elytra thorace plus duplo longiora, convexa, *Maris* cylindrica, *Feminæ* poftice dilatata, fubgibbofa, utriusque punctato-ftriata, nigra, fquamulis fparfis grifeis, unde quafi grifea nigro-punctata. Alæ amplæ, albohyalinæ. Sternum et Abdomen nigra, fquamulis denfis grifeis. Pedes nigri, fquamulis grifeis paucioribus: *femora* dentata. Magnitudo præcedentis.

Locus: habitat fat frequens in arboribus.

SYNON. Linn. *Syft. Nat. 11. p. 615. N:o 70. Faun. Sv. N:o 627. Curc. Cervinus.*
De Geer *Inf. 5. p. 220. N:o 13. Curc. Cervinus, mas.*
Bonsdorff *Curc. p. 29. N:o 15. Curc. Cervinus. var. α mas. varietas β femina.*

Obs. Squamulæ grifeæ interdum paulo virefcunt vel flavefcunt, præfertim in dorfo. Certe eft Curc. Cervinus Linnæi, fed Fabricii mihi haud notus. Hic enim Celeberrimus Vir mihi litteris fignificavit quod hæc fpecies minime fit *Curculio* a fe dictus *Cervinus*, qui femper femora gerit mutica, fed in Syftemate olim edendo fub nomine *Curc. Vefpertini* defignata.

N:o LXXXV.

CURCULIO ÆRUGINOSUS.

Alatus oblongus niger, fquamis denfis viridibus, antennis longioribus pedibusque ferrugineis.

Descr. Caput nigrum, viridi-fquamofum: *roftrum* teretiusculum, apice incrasfatum, longitudine haud thoracis; *antennæ* dimidio corpore longiores, ferrugineæ, clava fusca; *oculi* minuti, parum prominuli. Thorax niger, viridi-fquamofus, fubtilisfime punctatus, convexus, fubcylindricus. Scutellum minutum, viridi-fquamofum. Elytra nigra, viridi-fquamofa, oblonga, punctato-ftriata, obtufinscula, thorace parum latiora fed triplo fere longiora. Alæ obfcuræ, margine exteriore flavefcente. Sternum et Abdomen nigra, viridi-fquamofa. Pedes ferruginei, fquamis rarisfimis virefcentibus: *femora* omnia clavata, valide dentata. Magnitudo: latitudine vix Curc. Pini fed paulo longior.

Locus: habitat in Svecia auftrali; in Uplandia Dom. Bonsdorff.

SYNO-

SYNON. BONSDORFF *Curc. p. 23. N:o 7. Curc. Æruginosus.*
SCHÆFF. *Icon. t. 104. f. 5?*

OBS. Totus squamulis depressis tectus, pilis vero erectis nullis, quibus a sequenti duplo minori, cui statura et habitu valde affinis, distinguitur. Squamulæ virescentes rarius subcærulescunt.

N:o LXXXVI.

CURCULIO ARGENTATUS.

Niger, viridi-argenteo dense squamosus, pilis brevissimis erectiusculis, rostro tereti, antennis longioribus, tibiis tarsisque flavescentibus.

DESCR. CAPUT nigrum, viridi-argenteo-squamosum: *rostrum* teres, thorace brevius; *antennæ* tenues, longiores, flavescentes; *oculi* nigri, subprominuli. THORAX niger, viridi-argenteo-squamosus, punctulatus, convexus, antice posticeque paulo angustatus. SCUTELLUM minutum, concolor. ELYTRA oblongo-cylindrica, nigra, viridi-argenteo-squamosa, punctato-striata, apice acutiuscula, thorace paulo latiora, sed triplo fere longiora. ALÆ hyalinæ, nervis obscurioribus. STERNUM et ABDOMEN nigra, viridi-argenteo-squamosa. PEDES: *femora* valide dentata, sæpius nigra, rarius flavicantia, squamulis viridi-argenteis, *tibiæ* et *tarsi* flavescentes, rarius brunnei. MAGNITUDO: dimidio præcedente minor.

Locus: habitat in Betula et Urtica frequens.

SYNON. Fabr. *Mant. Inf. p. 123. N:o 284. Curc. Argentatus.*
Linn. *Syst. Nat. 11. p. 615. N.o 73. Faun. Sv. N:o 624. Curc. Argentatus.*
De Geer *Inf. 5. p. 219. N:o 12. Curc. Urticæ.*
Bonsdorff *Curc. p. 27. N:o 12. Curc. Argentatus. var. α. γ. δ.*

Obs. Squamulæ rarius magis obfcuræ vel cærulefcentes, ut in var. γ et δ Dom. Bonsdorffii facillime deteruntur.

N:o LXXXVII.

CURCULIO Oblongus.

Niger lanuginofus, elytris, antennis pedibusque ferrugineis.

Descr. Caput nigrum: *roftrum* thorace brevius, canaliculatum; *antennæ* ferrugineæ; *oculi* prominuli. Thorax convexus, antice pofticeque parum anguftatus, fubtilisfime punctatus, niger, lanugine tenuiore grifefcente. Scutellum nullum. Elytra thorace paulo latiora fed plus duplo longiora, fubtilisfime punctato-ftriata, cylindrica, ferruginea, nitida, lanugine tenuisfima grifefcente, lineaque marginali, apicem haud attingente, nigra. Alæ amplæ, hyalinæ, nervis obfcurioribus. Sternum et Abdomen nigra. Pedes ferruginei: *femora* clavata, denticulata. Magnitudo: Curc. Argentatum æquiparat.

Lo-

Locus: in Svecia rarissime habitare fertur; in Europa australi frequens.
SYNON. Fabr. *Mant. Inf. p. 123. N:o 186. Curc. Oblongus.*
Linn. *Syst. Nat 11.. p. 615. N:o 71. Faun. Sv. N:o 623. Curc. Oblongus.*
Bonsdorff *Curc. p. 25. N:o 9. Curc. Oblongus.*

Var. β.

Niger lanuginosus, antennis pedibusque ferrugineis, elytris brunneis.

Locus: habitat cum var. præcedente, cui, habitu, magnitudine et statura simillimus.

SECTIO QUARTA:

Brevirostres femoribus muticis.

N:o LXXXVIII.

CURCULIO Scabriculus.

Apterus fusco-cinereus hispidus, rostro canaliculato, thorace antice impresso, elytris leviter striatis.

Descr. Caput fusco-cinereum: *rostrum* thoracis fere longitudine, supra depressum, canaliculatum; *antennæ* crassiusculæ, thorace paulo longiores; *oculi* nigri, subimmersi. Thorax fusco-cinereus, hispidus, antice transverse impressus, tuberculo utrinque minuto laterali et rarius sulculo in medio longitudinali.

nali. Scutellum nullum. Elytra thorace dimidio latiora, at plus duplo longiora, fusco-cinerea, ſetis erectis brevibus hiſpida, ovata, convexa, ſtriata ſtriis lævibus, interſtitiis rugoſis. Sternum et Abdomen fusco-cinerea. Pedes ruſo-cineraſcentes: *femora* mutica. Magnitudo: Curc. Nigricornis latitudine ſed vix longitudine.

Locus: habitat paſſim minus frequens.

SYNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 117. N:o 212. Curc. Scabriculus.*

Linn. *Mant. Plant. p. 531. Curc. Scabriculus.*

Bonsdorff *Curc. p. 32. N:o 20. Curc. Scabriculus.*

Obs. Color fusco-cinereus jam paulo obſcurior jam dilutior.

N:o LXXXIX.

CURCULIO Echinatus.

Apterus cinereus hispidus, roſtro integro, thorace anguſtiore, elytris ſubgloboſis punctato-ſtriatis.

Descr.. Caput cinereum, ſcabrum: *roſtrum* brevisſimum, ſupra depresſum, haud canaliculatum; *antennæ* capitis thoracisque fere longitudine, ſubferrugineæ; *oculi* nigri, ſubimmerſi. Thorax cinereus, lineis tribus longitudinalibus pallidioribus, intermedia anguſtisſima, hiſpidus, ſubcylindricus. Scutellum nullum. Elytra cinerea, punctato-ſtriata, ſetis brevibus erectis hiſpida, thorace duplo longiora et triplo fere latiora,

dorſo

dorſo maxime gibbo, ut fere globoſa. STERNUM et ABDOMEN ferrugineo-cineraſcentia. PEDES ferruginei: *femora* mutica. MAGNITUDO præcedentis.

LOCUS: habitat in apricis primo vere, in Uplandia, ſat frequens.

SYNON. BONSDORFF *Curc. p. 33. N:o 21. Curc. Echinatus.*

OBS. Color jam dilutior jam obſcurior. Differt a præcedente roſtro haud canaliculato, thorace anguſtiore, et elytris ſubgloboſis punctato-ſtriatis.

N:o XC.

CURCULIO CORYLI.

Apterus niger cinereo-ſquamoſus, roſtro canaliculato, elytris convexis punctato-ſtriatis apice truncatis.

DESCR. CAPUT nigrum, cinereo-ſquamoſum, thoracis fere latitudine; *roſtrum* breviſsimum, ſulcatum; *antennæ* capite duplo longiores, fusco-rufeſcentes; *oculi* minuti, nigri, prominuli. THORAX ſubcylindricus, punctatus, niger, ſquamulis cinereis, vitta dorſali et una utrinque laterali obſcurioribus, interdum vero obſoletis. SCUTELLUM nullum. ELYTRA thorace dimidio latiora et vix duplo longiora, convexa, punctato-ſtriata, nigra, ſquamulis cinereis, cinereo-fusceſcentibus ad ſuturam baſeos ſæpe denudatis, apice truncata, obtuſa. STERNUM et ABDOMEN nigra, cinereo-ſquamoſa. PE-

Pedes fusco-rufescentes, pulvere cinereo: *femora* mutica. Magnitudo variat a Curc. Scabriculi, cui statura similis, ad Curc. Ovati.

Locus: habitat in betulis et corylis frequens.

SYNON. Fabr. *Mant. Inf. p. 116. N:o 205. Curc. Coryli.*
De Geer *Inf. 5. p. 245. N:o 32. Curc. Capitatus.*
Bonsdorff *Curc. p. 33. N:o 23. Curc. Capitatus. N:o 22. Curc. Trunculus.*

Obs. Squamulæ cinereæ interdum deteruntur, unde totus niger evadit, ut in individuis illis minoribus, a Cel. Bonsdorff sub nomine *C. Trunculi*, descriptis, nullo charactere essentiali a Curc. Coryli distinctis.

N:o xci.

CURCULIO Geminatus.

Apterus niger, cinereo fuscoque-cinereo dense squamosus, rostro supra plano, elytris globosis thoraceque lineatis.

Descr. Caput cinereo-squamosum, subtus dilutius: *rostrum* latum, supra planum, thoracis haud longitudine; *antennæ* breviores, capite parum longiores, fusco-rufescentes; *oculi* prominuli, minuti, nigri. Thorax subcylindricus, subtilissime punctatus, niger, cinereo-squamosus: lineis tribus latis fusco-cinereo-squamosis longitudinalibus. Scutellum nullum. Elytra thorace duplo latiora at vix duplo longiora, connata, globosa, obtusa, punctato-striata, nigra: lineis lon-

longitudinalibus fuscefcentibus fquamofis, lineis fquamofis cinereis æquali latitudine interjectis. STERNUM, ABDOMEN et PEDES nigra, cinereo-fquamofa: *femora* mutica. MAGNITUDO variat: majores magnitudine fere Curculionis Lapathi; minores, Curc. Equifeti.

LOCUS: habitat in Hallandia. Dom. OSBECK; larva in Pifo maritimo.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 116. N:o 203. Curc. Geminatus.*

OBS. Elytris globofis et roftro haud fulcato a præcedenti, cui ftatura fimilis, diftinguitur. Squamulæ interdum fed rarius omnes fuscefcunt.

N:o XCII.

CURCULIO LATERALIS.

Apterus niger pilis cinerafcentibus, fronti cruce impresfa, oculis prominulis, elytris punctato-ftriatis obtufis: linea laterali margineque fummo cinereo-virefcenti-fquamofis.

DESCR. CAPUT nigrum, pilis cinerafcentibus: *roftrum* craslum, thorace dimidio brevius: fulculo longitudinali ad frontem fefe extendente, et alio transverfali, ante oculos crucem cum priore, formante; *antennæ* capite paulo longiores; *oculi* minuti, valde prominuli. THORAX fubcylindricus, punctatus, niger, pilis cinerafcentibus, lineisque tribus dorfalibus glabrioribus. SCUTELLUM minutum,

tum, cineraſcens. Elytra thorace fere dimidio latiora et longiora, ſubcylindrica, punctato-ſtriata, obtuſa, nigra, pilis cineraſcentibus: linea laterali ſummique marginis exterioris ſquamis cinereo-vireſcentibus nitidis. Sternum, Abdomen et Pedes nigra, pilis ſquamulisque rarioribus cineraſcentibus: *femora* inermia. Magnitudo: Curc. Coryli, cui ſtatura ſimilis, paulo major.

Locus: habitat in arenoſis Hallandiæ. Dom. Osbeck.

Obs. Cruce fronti impresſa, et oculis, ut in Staphylino Junone, protuberantibus, optime dignoſcitur. Pili cineraſcentes facillime deteruntur ſed ſquamulæ tenaciùs adhærent, unde ſæpius totus niger lævis, nitidus linea laterali ſummoque margine elytrorum cinereo-vireſcentibus, cernitur.

N:o XCIII.

CURCULIO Scaber.

Apterus rufus, ſquamulis ſparſis cinereis, roſtro tereti tenui, elytrorum carinis quatuor elevatis exaſperatis.

Descr. Caput rufum, ſquamulis paucioribus cineraſcentibus: *roſtrum* teres, tenue, thoracis haud longitudine, apice incrasſatum, nigrum; *antennæ* roſtro duplo longiores; *oculi* minuti, nigri, immerſi. Thorax ſubgloboſus, gibbus, rufus, ſquamulis ſparſis cinereis, punctisque elevatis ſcaber. Scutellum nullum. Elytra thorace duplo latiora

at

at vix duplo longiora, apice acutiuscula; rufa, squamulis sparsis cinerascentibus, scabra, punctato-striata: carinæ quatuor elevatæ, setarum simplice serie erectarum armatæ, quarum prima juxta suturam, secunda inter secundam et tertiam striam, tertia inter quartam et quintam, et quarta inter sextam et septimam. STERNUM, ABDOMEN et PEDES rufa: *femora* nodosa, mutica, nodo pallido. MAGNITUDO: Curc. Rumicis æquiparat.

LOCUS: habitat in Pino Abiete non infrequens.

SYNON. LINN. *Syst. Nat. 11. p. 609. N:o 22. Faun. Sv. N:o 592. Curc. Scaber.*
DE GEER *Ins. 5. p. 243. N:o 29. Curc. Griseo-punctatus.*
BONSDORFF *Curc. p. 35. N:o 26. Curc. Scaber.*

N:o XCIV.

CURCULIO RAUCUS.

Apterus niger, rostro teretiusculo, elytris griseo-fuscoque nebulosis, dorso planiusculo, profunde punctato-striatis, postice carinatis.

DESCR. CAPUT nigrum: *rostrum* teretiusculum, apice incrassatum, longitudine dimidii thoracis; *oculi* subimmersi; *antennæ* longitudine dimidii corporis. THORAX gibbus, subglobosus, punctis elevatis scaber, carinula in medio abbreviata, dorso pilis brevissimis, vix conspicuis, cinerascentibus. SCU-

TELLUM nullum. ELYTRA thorace duplo fere latiora et dimidio longiora, dorſo planiusculo, profunde punctato-ſtriata, ſutura connata, poſtice carinæ inſtar elevata; nigra, pilis depresſis brevisſimis fuſceſcentibus griſeoque nitidulis, unde fusco griſeoque nebuloſa apparent. STERNUM et ABDOMEN nigra. PEDES: *femora* et *tibiæ* nigra; *tarſi* rufeſcentes. MAGNITUDO: Curc. Equiſeti paulo major.

LOCUS: habitat in arboribus ſat frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 115. N:o 198. Curc. Raucus; p. 117.* N:o *219. C. triſtis?*
BONSDORFF *Curc. p. 36. N:o 27. Curc. Triſtis.*

OBS. Cel. FABRICIUS mihi ipſe litteris ſignificavit hanc ſpeciem ſuum Curc. *Raucum* esſe, adjiciendo: C. *Triſti valde affinis differre videtur elytris cinereis unicoloribus profundius ſulcatis; forte tamen mera varietas.* Ita etiam mihi videtnr. E nympha nuper declaratus totus flavicat.

N:o XCV.

CURCULIO OBSCURUS.

Apterus niger, ſquamulis cineraſcentibus, roſtro canaliculato, thoraci lineola dorſali impresſa, elytris punctato-ſtriatis, lineis obſoletis elevatis, poſtice ſubcarinatis ſetoſis.

DESCR. CAPUT nigrum, ſquamulis rarioribus cineraſcentibus: *roſtrum* longitudine fere thoracis, teretiusculum, canaliculatum, apice incrasſatum; *antennæ* capite longiores; *oculi* immerſi. THORAX niger, ſquamulis cineraſcentibus, ſubcylindricus, ſcabriusculus, line-

lineola longitudinali impresſa. SCUTELLUM nullum. ELYTRA thorace fere dimidio latiora et longiora, nigra, ſquamulis denſis cinerascentibus et cinereo-fuſceſcentibus maculata, punctato-ſtriata, lineis duabus vel tribus plus minusve elevatis, poſtice ſetigera, ſubdeclivia, carinata, apice acutiusculo. STERNUM nigrum. ABDOMEN nigrum, dorſo anoque flavis. PEDES nigri, ſquamulis rarioribus cineraſcentibus: *femora* mutica. MAGNITUDO: Curculionem Liguſtici æquiparat.

LOCUS: habitat in plantis ſat frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 118. N:o 222. Curc. Obſcurus.*

BONSDORFF *Curc. p. 37. N:o 80. Curc. Murinus. p. 37. N:o 29. Curc. Obtuſus, vix ſpecie differunt.*

OBS. Variat rarius elytrorum ſquamulis fuſceſcentibus unicoloribus.

N:o XCVI.

CURCULIO MORIO.

Apterus niger lævis nitidus, roſtro baſi carinato, elytris oblongo-ovatis apice acutiusculis, pedibus rufo-piceis.

DESCR. CAPUT nigrum: *roſtrum* thorace brevius, baſi carinatum, apice incrasſatum; *antennæ* capite thoraceque longiores, cinereo-pubeſcentes; *oculi* ſubimmerſi. THORAX convexus, oblongo-ovatus, latitudine longior, ſubtilisſime punctatus, dorſo poſtice ſubcarinato. SCUTELLUM nullum. ELYTRA thorace

race duplo latiora et longiora, nigra, nitida, convexa, glabra, oculo armato ſubtilisſime temere punctata cernuntur, apice acutiuscula. STERNUM et ABDOMEN nigra. PEDES rufo-picei: *femora* clavata, inermia. MAGNITUDO: latitudine Curc. Sulcati ſed paulo longior.

LOCUS: habitat in littoribus Scaniæ ad Yſtad frequentisſimus; alibi rarius.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 122. N:o 279. Curc. Morio: at nunquam femora dentata vidi.*
DE GEER *Inſ. 5. p. 243. N:o 29. t. 7. f. 22. Curc. Atro-apterus.*

OBS. A Curculione *Morione* BONSDORFFII ſeu *Sulcato* FABRICII differt elytris longioribus nec ſquamoſis nec ſtriatis.

N:o XCVII.

CURCULIO PICIPES.

Apterus fuscus, ſquamulis ſparſis griſeis, elytris planiusculis obtuſis: ſtriis elevatis, interſtitiis punctatis; ſterno, abdomine pedibusque rufis.

DESCR. CAPUT fuscum, ſquamulis paucioribus griſeis: *roſtrum* thorace brevius, ſupra planiusculum; *antennæ* longitudine dimidii corporis; *oculi* nigri, immerſi. THORAX longitudine anguſtior, ſubgloboſus, punctis elevatis ſcaber, niger, ſquamulis griſeis dorſi rarioribus. SCUTELLUM nulllum. ELYTRA planiuscula, obtuſa, fusca: punctis maculisque obſoletis transverſalibus griſeo-ſquamoſis, ſtriis

ſtriis plurimis elevatis, et inter ſingulas ſtrias puncta minuta adſunt ſubocellaria, albida, longitudinali ſerie. STERNUM, ABDOMEN et PEDES rufeſcentia: *femora* clavata, mutica, anteriora vix dentata. MAGNITUDO: præcedenti paulo minor.

LOCUS: habitat in Svecia meridionali.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 122. N:o 278. Curc. Picipes.*

BONSDORFF *Curc. p. 39. N:o 33. Curc. Notatus.*

GEOFFR. *Inſ. t. 1. p. 281. N:o 9. Le Charançon bordé.*

OBS. Differt a Curc. Carinato, cui ſimilis, corpore ſquamoſo non piloſo, et elytris poſtice haud carinatis.

N:O XCVIII.

CURCULIO NIGER.

Apterus oblongus niger lævis opacus, elytris rugoſis, pedibus longioribus, femoribus tibiisque rubris.

DESCR. CAPUT nigrum, ſcabriusculum: *roſtrum* thorace duplo brevius, teretiusculum, apice dilatatum; *antennæ* dimidio corpore longiores; *oculi* ſubimmerſi. THORAX niger, globoſo-cylindricus, medio gibbus, longitudine tamen anguſtior, punctis minutisſimis ſcaber. SCUTELLUM nullum. ELYTRA thorace parum latiora, vix duplo longiora, oblonga, convexa, nigra, rugis transverſalibus ſcabriuscula, in medio paulo dilatata. STERNUM nigrum. ABDOMEN ſupra rufum, ſubtus nigrum. PEDES longiores: *femora* clavata, mutica *tibiæque* rubra, geniculis *tarſisque* fusceſcentibus.

tibus. MAGNITUDO: longitudine sequentis sed paulo latior.

LOCUS: habitat in Hallandia. Dom. OSBECK: e Germania mihi a Dom. SCHNEJDER missus.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 118. N:o 223. Curc. Niger.*
BONSDORFF *Curc. p. 40. N:o 35. Curc. Clavipes.*

N:o XCIX.

CURCULIO INCANUS.

Apterus oblongus subcylindricus niger, pilis brevissimis cinerascentibus nitidis, supra planiusculus.

DESCR. CAPUT nigrum, pilis brevissimis cinerascentibus; *rostrum* crassum, thorace dimidio brevius, basi parum impressa; *antennæ* capite thoraceque longiores, vix extrorsum crassiores; *oculi* prominuli, THORAX subcylindricus, latitudine longior, dorso planiusculo, subtilissime punctatus, niger, pilis brevissimis cinerascentibus. SCUTELLUM nullum. ELYTRA thorace parum latiora, at plus duplo longiora, subcylindrica, dorso depressiusculo, subtilissime punctato-striata, nigra, pilis brevissimis cinerascentibus, summo apice sæpius albicante. STERNUM, ABDOMEN et PEDES nigra, pilis cinerascentibus. MAGNITUDO: longitudine Curc. Pini sed angustior.

LOCUS: habitat in pinetis frequens.

SYNO-

SYNON. Fabr. *Mant. Inf. p. 115. N:o 193. Curc. Incanus.*
Linn. *Syft. Nat. 11. p. 617. N.o 81. Faun. Sv. N:o 631. Curc. Incanus.*
De Geer *Inf. 5. p. 242. N:o 28. Curc. Grifeo-apterus.*
Bonsdorff *Curc. p. 41. N:o 36. Curc. Incanus.*

Obs. Corpore oblongo fupra planiusculo optime ab omnibus hujus phalangis Curculionibus diftinguitur. Pili cinerafcentes interdum plus minusve deteruntur. In defcriptione Illuftr. Linnæi in Faun. Sv. p. 183. perperam impresfum eft: *præcedentibus paulo minor* lege *paulo major;* qua correctione defcriptio ejus quadrat, ut non dubium fit quominus hæc fpecies fit Curc. Incanus Linnæi.

N:o c.

CURCULIO Sulcirostris.

Alatus oblongus niger, pilis canefcentibus, roftro trifulcato, elytrorum fasciis obliquis denudatis nigris.

Descr. Caput nigrum, cinereo-pubefcens: *roftrum* thoracis fere longitudine, crasfum, teres, fulcis tribus parallelis grifeo vel grifeo-ferrugineo-pilofis, carinis intermediis nudis; *antennæ* capite paulo longiores; *oculi* nigri. Thorax niger, villis paucioribus canefcentibus, punctis elevatis fcabris, antice fubanguftatus, fulculo medio lineaque utrinque lata denfe cano-lanuginofa. Scutellum minutum, canum. Elytra thorace parum latiora at duplo longiora, fubcylindrica, convexa, oculo armato fubtilisfime punctato-ftriata fe fiftunt, rugis numerofis transverfali-

ſalibus, nigra, pilis brevisſimis caneſcentibus, callo poſtico fasciisque duabus obliquis denudatis. ALÆ flaveſcentes, nervis obſcurioribus. STERNUM et ABDOMEN nigra, pilis brevisſimis caneſcentibus, punctisque minutis numeroſis temere ſparſis denudatis. PEDES nigri, pilis caneſcentibus: *femora* mutica. MAGNITUDO: Curc. Morione dimidio fere latior at duplo longior eſt.

LOCUS: habitat in campis ſat frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 114. N:o 185. Curc. Sulciroſtris.*
LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 617. N:o 85. Curc. Sulciroſtris.*
DE GEER *Inſ. 5. p. 240. N:o 26. Curc. Sulciroſtris.*
BONSDORFF *Curc. p. 21. N:o 4. Curc. Sulciroſtris.*
SCHÆFF. *Icon. t. XXV. f. III.*

OBS. A Curculione Sulciroſtri Capenſi, quem deſcripſit Cel. SPARRMANN in Actis Acad. Sc. Stockh. ann. 1785, p. 49, plane diverſus videtur: differt enim ille roſtro vix ſulcato, crasſiore, quodque elytris, loco fasciarum obliquarum, inſint maculæ binæ ſubrotundæ denudatæ, in quibus punctum minutum, piloſum, elevatum, album, punctumque aliud apicis albo-piloſum.

N:o CI.

CURCULIO NEBULOSUS.

Alatus oblongo-ovatus niger, pilis brevisſimis albidis et rubiginoſis variegatus, roſtro carinato, elytris profunde punctato-ſtriatis: maculis fasciisque obliquis nudis nigris.

DESCR. CAPUT nigrum, pilis rubiginoſis

ſis albidisque variegatum: *roſtrum* thoracis ſere longitudine, angulatum, carina longitudinali nuda valde elevata, acuta, ſulculos duos laterales, pilis rubiginoſis tectos, formante; *antennæ* caneſcentes, vix capitis longitudine; *oculi* nigri, ovati. THORAX convexus, rugoſus, carina ſæpe antica abbreviata, marginibus ſubcompresſis niger, rubedine piloſa parcius inſperſa, liturisque aliquot vel lineis laterabus albidis piloſis. SCUTELLUM minutisſimum. ELYTRA thorace paulo latiora et vix duplo longiora, oblongo-ovata, profunde punctato-ſtriata, pilis brevisſimis albocaneſcentibus, lanugine rubiginoſa plus minusve mixtis, obſita, callo poſtico, punctis plurimis temere ſparſis, fasciisque duabus obliquis nudis nigris. ALÆ flaveſcentes, nervis obſcurioribus. STERNUM, ABDOMEN et PEDES nigra, pilis caneſcentibus: *femora* mutica. MAGNITUDO: præcedentis latitudine at vix longitudine.

LOCUS: habitat larva in foliis ſalicis, imago in collibus lapidoſis ſat frequens tempore vernali.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 114. N:o 184. Curc. Nebuloſus.*
LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 617. N:o 84. Faun. Sv. N:o 635. Curc. Nebuloſus.*
DE GEER *Inſ. 5. p. 241. N:o 27. Curc. Carinatus.*
BONSDORFF *Curc. p. 20. N:o 3. Curc. Nebuloſus.*

OBS. A Curc. *Nebuloſo* Capenſi SPARRMANNI plane diverſus: differt enim roſtro valde carinato, elytris profundius punctato-ſtriatis, et corpore duplo minore.

N:o CII.

CURCULIO ALBIDUS.

Oblongus, roſtri carinula abbreviata apice bifida, elytris albo-lanuginoſis: maculis duabus fasciaque ſinuata transverſa nuda nigra.

DESCR. CAPUT nigrum, ſubtus pilis rarioribus brevisſimis albidis rubiginoſisque: *roſtrum* thorace brevius, carinula apice abbreviata, bifida; *antennæ* capite vix longiores, fuscefcentes apice griſeæ, crasſiores; *oculi* nigri. THORAX convexus, ſcaber, antice parum anguſtatus, niger, ſubtus et ad latera albo-tomentoſus, rubedine parcius adſperſus. SCUTELLUM minutisſimum. ELYTRA thorace paulo latiora, at duplo longiora, convexa, apice acutiuscula, punctato-ſtriata, nigra, albo-lanuginoſa: macula magna baſeos, altera apicis, faſciaque lata ſinuata in medio, nudis. ALÆ flaveſcentes, nervis obſcurioribus. STERNUM nigrum, denſe albo-tomentoſum. ABDOMEN nigrum, albo-tomentoſum: ſegmento tertio et quarto inſunt puncta tria nuda, nigra, approximata, quinto unicum paulo majus. PEDES nigri, albo-lanuginoſi, annulis magis denudatis. MAGNITUDO: Curc. Sulciroſtri, cui ſtatura ſimilis, duplo minor.

LOCUS: habitat in Svecia auſtrali.

SYNO-

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 114. N:o 189. Curc. Albidus.*
HERBST 83. 75. *t. 24. f. 31. Curc. Candidus.*
BONSDORFF *Curc. p. 21. N:o 5. Curc. Niveus.*

N:o CIII.

CURCULIO VIRIDIS.

Niger, fupra pilis brevisfimis obfcure viridibus, fubtus et ad latera fquamulis flavo-viridibus denfioribus; roftro carinato, thorace cylindrico.

DESCR. CAPUT nigrum, fupra obfcure viridi-pilofum, fubtus flavo-viridi-fquamofum: *roftrum* thorace brevius, carina longitudinali; *antennæ* fuscefcentes, capite thoraceque breviores, extrorfum vix crasfiores, fubrectæ, primo tamen articulo reliquis longiore; *oculi* nigri. THORAX niger, fupra obfcure-viridi-pilofus, fubtus et ad latera dilute viridi-fquamofus, cylindricus. SCUTELLUM minutum, albicans. ELYTRA nigra, dorfo obfcure viridi-pilofo, margine late flavo-viridi-fquamofo, thorace duplo latiora et longiora, punctato-ftriata, convexa, apice fubcarinata, mucrone minutisfimo. ALÆ dilute fuscefcentes. STERNUM et ABDOMEN nigra, denfe dilute viridi-fquamofa. PEDES nigri, viridi-pollinofi: *femora* mutica. MAGNITUDO præcedentis.

LOCUS: habitat in Betula Alno apud nos rarius, in Germania frequens.

SYNO-

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 112. N:o 175. Curc. Viridis.*
LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 616. N:o 76. Faun. Sv. N:o 620. Curc. Viridis.*
DE GEER *Inſ. 5. p. 255. N:o 45. Curc. Flavicinctus.*
SCHÆFF. *Icon. t. 53. f. 6. t.* LXXVI *f. 1. 2. 3.*
BONSDORFF *Curc. p. 22. N:o 6. Curc. Viridis.*

OBS. Squamulæ et pili virides tenaciores ſunt nec facile deteruntur. Curculionem huic valde ſimilem e Germania miſit Dom. SCHNEJDER, quem ita determinavi: CURCULIO GIBBOSUS. *Niger, flavo-viridi-ſquamoſus, lateribus dilutioribus, roſtro baſi carinato, thorace antice anguſtato, elytrorum dorſo gibbo, apicis mucrone majore.* Satis igitur a Curc. Viridi diverſus.

N:o CIV.

CURCULIO UNDATUS.

Exſcutellatus niger, ſquamulis griſeo-lucentibus, roſtro tereti, thorace cylindrico, elytris apice declivibus, faſciis ſquamoſis undatis fuſcis.

DESCR. CAPUT nigrum, griſeo-ſquamoſum: *roſtrum* teres, thorace brevius; *antennæ* capite duplo longiores, tenues, rufeſcentes; *oculi* minuti nigri, parum paominuli. THORAX cylindricus, vix capite latior, niger, ſquamulis griſeis nitidis, dorſi rarioribus. SCUTELLUM nullum. ELYTRA thorace duplo longiora et latiora, convexa, punctato-ſtriata, poſtice declivia, nigra, ſquamulis griſeis nitidis, fasciisque ſæpius tribus undatis transverſalibus, marginem exteriorem haud attingentibus, a ſquamulis minutisſimis obſcure

ſcure fuscis ortis. ALÆ albo-hyalinæ. STERNUM et ABDOMEN nigra, griſeo-nitido-ſquamoſa. PEDES ruſeſcentes: *femora* mutica. MAGNITUDO: Curculionem Tortricem æquiparat.

LOCUS: habitat in Corylo Avellana in Uplandia frequens.

SYNÒN. FABR. *Mant. Inſ. p. 117. N:o 210. Curc. Undatus.*

DE GEER *Inſ. 5. p. 246. N:o 33. Curc. Tereticollis.*
BONSDORFF *Curc. p. 28. N:o 14. Curc. Tereticollis.*

OBS. In ſynonymo FABRIC. diu hæſi, donec Cel. Auctor ipſe dubia mea litteris ſuis exemerit. Differt a ſequenti: Colore, ſcutello nullo, thorace nec tuberculato nec punctato, roſtro haud ſulcato elytrisque magis declivibus.

N:o CV.

CURCULIO RUFICORNIS.

Scutellatus rufo-brunneus, ſquamulis minutisſimis cinereis, roſtro concavo, thorace inæquali, elytrorum fasciis tribus nudis glabris.

DESCR. CAPUT rufo-brunneum, ſquamulis paucioribus cinereis: *roſtrum* glabrum, ſulco lato verſus apicem profundiore latiore, ut omnino concavum evadat; *antennæ* capite duplo longiores; *oculi* minuti, nigri, vix prominuli. THORAX rufo-brunneus, ſquamulis minutisſimis cinereis dorſo paucioribus, cylindricus; *Mas* præditus tuberculis binis minutisſimis lateralibus, *femina* eorum loco

loco punctis utrinque binis profundioribus impresſis. SCUTELLUM minutum, cinereum. ELYTRA thorace duplo latiora et longiora, convexa, punctato-ſtriata, ruſo-brunnea, ſquamulis paucioribus minutisſimis cinereis, fasciisque tribus nudis glabris, quarum prima obliqua baſeos, ſecunda ſubrecta in medio, tertia undata apicis. ALÆ albo-hyalinæ. STERNUM et ABDOMEN ruſo-brunnea, ſquamulis cinereis, ano nudo glabro. PEDES ruſi, ſquamulis paucisſimis cinereis: *femora* mutica. MAGNITUDO præcedentis.

LOCUS: habitat in arboribus frequens.

SYNON. STRÖM *Act. Nidroſ. t.* IV. *p. 321. N:o 17. Curc. Faſciatus.*

BONSDORFF *Curc. p. 27. N:o 13. Curc. Ruficornis.*

OBS. Pubeſcentia cinerea interdum ætate vel caſu deteritur. Variat etiam rarius elytrorum omnino cinereo-ſquamoſorum fasciis nudis nullis. Minime eſt *Curc. Ruficornis* Illuſtr. LINNÆI et Cel. FABRICII, qui vix a *Curc. Pruni* ſatis diſtinctus videtur.

N:o CVI.

CURCULIO HISPIDULUS.

Niger, thorace profunde punctato ſquamulis cinereis lineato, elytrorum pilis erectis hispidis albis.

DESCR. CAPUT nigrum: *roſtrum* brevisſimum, concavum; *antennæ* baſi ruſeſcentes, apice fuſceſcentes, clava cinerea; *oculi* immerſi. THORAX convexus, ſubcylindricus, niger, ſubtus obſcure cinereo-ſquamoſus, dorſo

dorſo profunde punctato, lineis 3 parallelis longitudinalibus cinereo-ſquamoſis, media tenuiore. SCUTELLUM nullum. ELYTRA nigra, ſquamulis paucioribus fuſcis vel cinereis, thorace paulo latiora et vix duplo longiora, ſubtilisſime confertisſimeque temere punctata: ſtriæ quædam a punctis paulo majoribus ortæ, quas interjacent pili erecti hispidi. ALÆ albo-hyalinæ. STERNUM et ABDOMEN nigra, ſquamulis cinereis. PEDES: *femora* fuſco-cineraſcentia, mutica; *tibiæ* et *tarſi* rufeſcentes. MAGNITUDO: varietatem α Curc. Lineati æquiparat.

LOCUS: habitat in plantis aquaticis minus frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 117. N:o 211. Curc. Hispidulus.*

OBS. A Curc. Lineato, cui ſtatura ſimilis, optime diſtinguitur thorace profunde punctato et elytris hispidis.

N:o CVII.

CURCULIO PUNCTATUS.

Niger ſquamulis cineraſcentibus, elytris ſubquadratis: punctis plurimis nigro-lanuginoſis elevatioribus.

DESCR. CAPUT nigrum, ſquamulis rarioribus cineraſcentibus; *roſtrum* teres, ſubincurvum, thoracis fere longitudine; *antennæ* capite paulo longiores; *oculi* minuti, ſubimmerſi. THORAX convexus, ſubcylindricus, niger, ſquamulis cineraſcentibus, dorſo, linea media longitudinali excepta, magis nudo. SCU-

Scutellum minutum, cinereum. Elytra thorace duplo latiora at vix duplo longiora, convexa, ſubquadrata, punctato-ſtriata, nigra, ſquamulis cineraſcentibus in dorſo paucioribus punctisque plurimis elevatioribus, pilis nigro-holoſericeis. Alæ albo-hyalinæ, coſta flaveſcente, rarius nullæ, vel modo rudimenta, alarum. Sternum et Abdomen nigra, ſquamulis cineraſcentibus. Pedes nigri, ſquamulis cineraſcentibus: *femora* mutica, annulo dilutiore. Magnitudo: latitudine Curc. Lapathi ſed paulo brevior.

Locus: habitat paſſim minus frequens.

SYNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 117. N:o 221. C. punctatus.*

Obs. Squamulæ cinereæ interdum flavicant; interdum præſertim in dorſo plus minusve deteruntur.

N:o CVIII.

CURCULIO Lineatus.

Griſeo-fusco-ſquamoſus, ſubtus, lineæque tres thoracis, albidior, roſtro breviſſimo impreſſo.

Descr. Caput fusco-griſeo-ſquamoſum: *roſtrum* dimidio thoracis longitudine, late longitudinaliter impreſſum; *antennæ* capite duplo longiores, primo articulo rufeſcente; *oculi* nigri, ſubimmerſi. Thorax capitis latitudine, ſubtiliſſime punctatus, cylindricus, fusco-ſquamoſus, lineis tribus longitudinalibus albidioribus. Scutellum omnino minutiſſimum, albicans. Elytra thoracis dimidio

dio latiora et duplo longiora, convexa, ſubcylindrica, punctato-ſtriata, griſeo-ſquamoſa, macula ſæpius ſcutellari et utrinque humerali albidioribus. ALÆ albo-hyalinæ, puncto majori marginali nervisque fuſcis. STERNUM et ABDOMEN albo-cineraſcenti-ſquamoſa. PEDES: *femora* cineraſcentia, mutica: *tibiæ tarſique* ruſeſcentes. MAGNITUDO: Cur. Tortricem fere æquiparat.

LOCUS: habitat in agris et hortis, in terra curſitans, frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 116. N:o 206. Curc. Lineatus.*
LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 616. N:o 80. Faun. Sv. N:o 630. Curc. Lineatus.*
DE GEER *Inſ. 5. p. 247. N:o 35. Curc. Lineatus.*
BONSDORFF *Curc. p. 30. N:o 16. Curc. Lineatus. var. α.*
SCHÆFF. *Icon. t. 103. f. 8.*

VAR. β.

Fusco-ſubæneus, ſubtus lineæque thoracis pallidior.

LOCUS: habitat cum præcedente, cui magnitudine, habitu et ſtatura omnino ſimillimus.

SYNON. BONSDORFF *Curc. p. 30. N:o 16. Curc. Lineatus var. β.*

VAR. γ.

Fusco-vireſcenti-ſquamoſus, capite, lineis tribus thoracis, ſutura lineisque tribus anguſtioribus longitudinalibus utrinque elytrorum tenui-viridibus.

LOCUS: habitat cum præcedentibus, quibus paulo minor, rarisſime.

VAR. δ.

Cinereo-fusco-squamosus, thoracis striis tribus pallidioribus, elytrorum linea unica in medio albida.

LOCUS: habitat cum præcedentibus infrequens.

SYNON. LINN. *Faun. Sv. N:o 22-74. Curc. cinereus, fasciis longitudinalibus dilutioribus.*
BONSDORFF *Curc. p. 30. N:o 17. Curc. Lineellus.*

OBS. Dimidio minor varietate α et β, de reliquo simillimus, nec ullum characterem essentialem a Cel. BONSDORFF datum, nec erui posse credimus, quo ab illis dignosceretur: hanc enim speciem colore et magnitudine maxime variare cuique sub oculis est. In omnibus varietatibus squamulæ sæpe deteruntur ut nigra vel fusca evadant specimina, in eoque statu ab Ill. LINNÆO et Cel. BONSDORFF sub nomine *Curculionis Chloropodis* fuisse descripta, omnino verosimile videtur.

N:o CIX.

CURCULIO FULVIPES.

Oblongo-ovatus, niger flavo-viridi-squamosus, antennis mediocribus, antennis pedibusque flavis.

DESCR. CAPUT nigrum, flavo-viridi-squamosum: *rostrum* thorace brevius, foveola sæpius impressa; *antennæ* flavescentes, mediocres; *oculi* nigri, orbiculati, prominuli. THORAX niger, flavo-viridi-squamosus, subtilissime punctatus, subcylindricus, convexus. SCUTELLUM minutum, concolor. ELYTRA thorace

race dimidio latiora et vix duplo longiora, ovata, convexa, punctato-striata, nigra, flavo-viridi-squamosa, apice acutiuscula. ALÆ dilute fuscescentes. STERNUM et ABDOMEN nigra, flavo-viridi-squamosa. PEDES flavi: *femora* mutica. MAGNITUDO: latitudine sed non longitudine Curc. Argentati.

LOCUS: habitat in arboribus, præsertim Corylis.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 117. N:o 208. Curc. Fulvipes.*
DE GEER *Inf. 5. p. 235. N:o 41. Curc. Flavipes.*
BONSDORFF *Curc. p. 27. N:o 12. Curc. Argentatus var. β, sed minime magis elongatus quam varietas ejus α Curc. Argentati.*

VAR. β.

Niger, cærulescenti-squamosus, antennis pedibusque obscure ferrugineis.

LOCUS: habitat cum varietate præcedente, cui simillimus.

OBS. Differt a Curc. Argentato, cui similis, elytris magis ovatis et femoribus muticis, nec ejus sexus est varietas; nam licet sæpe sub copula capti, nunquam tamen hunc illi junctum vidimus. Squamulæ virescentes sæpe deteruntur.

N:o CX.

CURCULIO CHLOROPUS.

Niger lævis cylindricus, thorace longiore, elytris tenuiter punctato-striatis, pedibus antennisque brevioribus piceis.

DESCR. CAPUT nigrum: *rostrum* brevissimum,

ſimum, cylindricum; *antennæ* capite breviores, piceæ; *oculi* immerſi. THORAX niger, ſubtilisſime punctatus, cylindricus, valde elongatus. SCUTELLUM minutisſimum, concolor. ELYTRA thorace haud latiora et dimidio longiora, nigra, cylindrica, punctis minutis ſtriata, poſtice ſubtruncata. ALÆ albo-hyalinæ. STERNUM et ABDOMEN obſcure picea. PEDES breviores picei: *femora* mutica. MAGNITUDO: *femina* varietatem α Curc. Lineati æquiparat, *mas* vero anguſtior eſt.

LOCUS: habitat in truncis et corticibus arborum, Boſtrichorum more, quos ſtatura refert.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 117. N:o 218. Curc. Chloropus.*
LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 617. N:o 86. Faun. Sv. N:o 637. Curc. Ater.*
BONSDORFF *Curc. p. 31. N:o 19. Curc. Ater.*

OBS. Celeb. FABRICIUS ipſe me litteris certiorem fecit hanc ſpeciem *Curculionem* ſuum *Chloropodem* esſe, quem pro varietate *Curc. Atri* LINNÆI habuit; eſt vero ipſe *Curc. Ater* LINNÆI. *Curc. Chloropus* LINNÆI, ut antea monuimus, *Curc. Lineatus* ſquamulis cinereis detritis esſe videtur. *Curc. Corticali* aliquo modo ſimilis, ſed ille longiroſtris cinereo-nigricans, elytris profunde punctato-ſtriatis, unde ſatis deſtinctus.

FA-

FAMILIA SECUNDA
Antennis rectis.
SECTIO PRIMA:
Breviroſtres.

N:o CXI.

CURCULIO Latirostris.

Niger planus, fronte roſtroque latisſimo albis: rugis duabus longitudinalibus; antennis mediocribus, elytris declivibus obtuſis apice abdomineque ſubtus albis.

Descr. Caput: *roſtrum* latitudine frontis, ſupra infraque planum, thorace brevius, ſupra albo-pubeſcens, ſubtus nigrum, rugis duabus lateralibus a cantho oculi interno ad angulum oris extrorſum arcuatis; *maxillæ* validæ, nigræ; *antennæ* capitis longitudine, articulis tribus ultimis incrasſatis; *oculi* prominuli, fusci; *frons* albo-pubeſcens, foveola longitudinali. Thorax niger, ſupra planus, rugoſus, in lateribus utrinque tubercula bina baſi connata. Scutellum nullum. Elytra thorace vix latiora et dimidio longiora, ſubtus flavicantia, ſupra nigra, plana, ſtriato-punctata, callis binis anticis unicoque poſtice elevatis, maculis quibusdam ſparſis albo-pubeſcentibus, apice declivia, obtuſisſima, albo-pubeſcentia, punctis duobus ſuturalibus nu-

nudis nigris. Alæ elytris vix longiores, basi flavescentes, apice fuscæ. Sternum nigrum, tomento albo adspersum. Abdomen dorso depresso flavo, subtus convexum, albo-tomentosum, stigmatibus nigris. Pedes nigri, cinereo-subfasciati: *femora* mutica. Magnitudo variat: majores latitudine sed non longitudine Curc. Sulcirostris.

Locus: habitat sub corticibus truncorum fagi et betulæ albæ mense Augusto, rarior.

SYNON. Fabr. *Mant. Inf. p. 118. N:o 237. Curc. Latirostris.*
Geoffr. *Inf. 1. p. 307. N:o 3. L'Antribe noir strié.*
Bonsdorff *Curc. p. 17. N:o 2. Curc. Latirostris.*
Schæff. *Icon. t. 89. f. 6.*

Obs. Lanugo alba sæpe deteritur, unde elytra apice fiunt ferruginea ut in var. β Cel. Bonsdorffii.

N:o CXII.

CURCULIO Albinus.

Nigro-fuscus, rostro, fronte, elytrorum apice, sterno abdomineque albo-lanuginosis, thorace trituberculato, antennis longioribus.

Descr. Caput: *rostrum* latitudine frontis, supra infraque planum, thorace brevius, inæqualiter impressum, supra albo-tomentosum, subtus nigrum; *maxillæ* nigræ; *antennæ* albo-nigroque annulatæ, extrorsum vix crassiores, *maris* corpore sæpius duplo

plo longiores, *feminæ* corporis fere longitudine; *oculi* parvi, prominuli, nigri; *frons* albo-tomentofa, puncto oblongo inter oculos impresfo. THORAX nigro-fuscus, fummo margine antico albo, parum convexus, fcaber, poftice ad latera acute marginatus, dorfo tuberculis tribus transverfali ferie pilorum rigidorum brevisfimorum exafperatorum. SCUTELLUM nullum. ELYTRA thoracis latitudine fed duplo fere longiora, nigro-fusca, macula media parva pofticeque, fummo apice excepto, albo-tomentofa, punctato-ftriata, poftice unicallofa, tuberculis tribus vel quatuor longitudinali ferie ad futuram elevatis. ALÆ amplæ, elytris longiores, fuscæ, bafi flavefcentes. STERNUM et ABDOMEN albo-tomentofa. PEDES nigricantes, albo-annulati: *femora* mutica. MAGNITUDO variat fæpius: Curc. Viridis longitudine fed paulo latior.

LOCUS: habitat in falicibus et fub corticibus betulinis.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 118. N:o 236. Curc. Albinus.*
LINN. *Syft. Nat. 11. p. 616. N:o 79. Faun. Sv. N.o 632. Curc. Albinus.*
BONSDORFF *Curc. p. 16. N:o 1. Curc. Albinus.*
DE GEER *Inf. 5. p. 255. N:o 44. Curc. Albinus.*

OBS. Lanugo alba interdum deteritur,

N:o CXIII.

CURCULIO ALBIROSTRIS.

Nigro-fuscus, roſtro latisſimo ſulcato albo, oculis frontalibus, thorace ſubrugoſo marginato, elytris apice albis: macula palmata nigro-fusca.

DESCR. CAPUT: *roſtrum* ſupra infraque planum, latitudine frontis, thorace brevius, ſupra albo-tomentoſum, ſulculo longitudinali, ſubtus, ut et maxillæ, nigrum; *antennæ* dimidio corpore ſæpius breviores; *oculi* frontales, immerſi, magni, approximati, nigri. THORAX ſupra nigro-fuſcus, ſubrugoſus, punctatus, lateribus et poſtice parum marginatus; ſubtus cinereo-tomentoſus. SCUTELLUM minutum, albidum. ELYTRA thorace vix latiora, at duplo fere longiora, puncto-ſtriata, nigro-fuſca, punctis paucis albidis, apice vix declivia, albo-tomentoſa: macula magna palmata nigro-fuſca in margine exteriore. ALÆ hyalino-fuſceſcentes. STERNUM et ABDOMEN cinerea, tomentoſa. PEDES cinereo-tomentoſi, annulis denudatis nigris. MAGNITUDO: dimidio minor præcedenti.

LOCUS: habitat in in Scania rarius. In Savolaxia ſub cortice Betulæ Albæ.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 119. N:o 238. Curc. Albiroſtris.*

VAR.

Var. β.

Nigro-fuscus, roſtro ſupra, lateribus thoracis, maculaque rhombea dorſali albo-tomentoſis.

Locus: habitat cum præcedente, cui magnitudine habitu et ſtatura ſimillimus.

Obs. Statura, habitu et colore cum Curc. Latiroſtri et Albino ſatis convenit, ſed differt magnitudine, roſtro uniſulcato, oculis majoribus frontalibus, et thorace marginato haud tuberculato.

N:o cxiv.

CURCULIO Scabrosus *).

Niger, thorace marginato, elytris rufis: ſtriis utrinque ſex elevatis ſcabris nigro-punctatis.

Descr. Caput nigrum: *roſtrum* omnino breviſſimum, latum, ſupra infraque planum; *antennæ* capite paulo longiores, extrorſum craſſiores; *oculi* teretes vix prominuli. Thorax niger, longitudine poſtice latior, convexus, acute marginatus, antice transverſus, capitis latitudine, poſtice rotundatus, angulis productis acutis. Scutellum nigrum. Elytra thorace vix latiora at dimidio longiora, ſub-

*) *Licet hæc et ſequens ſpecies* Bruchorum *generi huc usque a Cel.* Fabricio *adſcriptæ fuerint, tamen litteris mihi narravit Cel. Vir, quod in proxima ſui Syſtematis, propediem evulganda editione, in idem, ſub quo comprehendetur Curc. Latiroſtris, ſeu* Antribi *genus, præeunte Cel.* Geoffroy, *transferendæ ſint.*

ſubquadrata, cylindrico-convexa, rufa, margine omni, angulo exteriore anteriore excepto, nigro, ſtriis ſex elevatis ſcabris, punctis nigris ſparſis: in interſtitiis omnium ſtriarum puncta minutisſima duplice ſerie excavata. ALÆ amplæ, fuſceſcentes. STERNUM et ABDOMEN nigra. PEDES nigri, breves: *femora* ſubclavata, inermia. MAGNITUDO: Curc. Coryli latitudine ſed haud longitudine æquiparat.

LOCUS: habitat in Svecia rarius. In Rhamno cathartico ad prædium meum Walloxſåby, unicum tantum reperi.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 41. N:o 7. Bruchus Scabroſus.*
GEOFFR. *Inſ. 1. p. 306. N:o 1. L'Antribe marbré. t. 5. f. 3.*

OBS. Oculo bene armato pilis brevisſimis rarioribus griſeſcentibus adſperſus videtur.

N:o CXV.

CURCULIO VARIUS.

Niger, punctis villoſis griſeis variegatus, thorace immarginato, elytris ſubquadratis.

DESCR.. CAPUT nigrum, pilis paucioribus brevisſimis griſeſcentibus: *roſtrum* brevisſimum, vix dimidii thoracis longitudine, latum, ſupra infraque planum; *antennæ* capite paulo longiores; *oculi* vix prominuli. THORAX convexus, immarginatus, niger, villis ſparſis griſeſcentibus, antice transverſus, vix capite latior,

latior, postice latitudine fere elytrorum, rotundatus, angulis acutis. SCUTELLUM omnino minutissimum grisescens. ELYTRA thorace dimidio longiora, subquadrata, convexa, punctato-striata, nigra, villis sparsis griseis, puncta minuta formantibus. ALÆ hyalino-fuscescentes, venis obscurioribus. STERNUM et ABDOMEN nigra, villis brevissimis rarioribus cinerascentibus. PEDES nigri: *femora* mutica. MAGNITUDO: paulo minor est præcedenti.

LOCUS: habitat in pinetis Uplandiæ rarius: in floribus Aceris Plantanoidis semel plures inveni.

SYNON. FABR. *Mant. Ins. p.* 42. *N:o* 14. *Curc. Bruchus Varius.*
GEOFFR. *Ins.* 1. *p.* 307. *N:o* 2. *L'Antribe minime.*

N:o CXVI.

CURCULIO CINCTUS.

Niger, rostro mediocri, thorace postice linea transversa elevata, elytris subquadratis.

DESCR. CAPUT nigrum: *rostrum* longitudine fere thoracis, apice dilatatum, supra infraque planum; *antennæ* dimidio corpore longiores, extrorsum paulo crassiores; *oculi* immersi. THORAX niger, subtilissime punctatus, immarginatus, lineola transversa elevata postice dorso cinctus. SCUTELLUM minutum, concolor. ELYTRA vix thorace latiora

ra et fere dimidio longiora, ſubquadrata, parum convexa, punctato-ſtriata, nigra. ALÆ albidæ. STERNUM, ABDOMEN et PEDES nigra: *femora* mutica. MAGNITUDO: Curc. Scabriculum æquiparat.

LOCUS: habitat in Svecia auſtrali rarius.

OBS. Oculis bene armatis pilis brevisſimis rarioribus griſeis adſperſus obſervatur.

N:o CXVII.

CURCULIO FULVIROSTRIS.

Oblongus lævis glaber, ſupra obſcure æneus, roſtro pedibusque flavis, thorace poſtice, elytris antice punctis binis impresſis.

DESCR. CAPUT: *roſtrum* thorace brevius, latum, flavum, ſupra infraque planum; *antennæ* thorace fere breviores, extrorſum crasſiores, baſi teſtaceæ, apice fusceſcentes; *oculi* prominuli, nigri: *frons* obſcure ænea. THORAX ſubrotundus, poſtice parum anguſtatus, dorſo convexo, obſcure-æneo, nitido, glaberrimo, punctis vagis minutisſimis confertisſimis, et duobus poſticis majoribus excavatis; ſubtus fuscus. SCUTELLUM nullum. ELYTRA thorace paulo latiora at duplo longiora, obſcure ænea, glaberrima, nitida, convexa, ſubtilisſime punctato-ſtriata, punctisque duobus majoribus baſeos impresſis. ALÆ fusceſcentes. STERNUM fuscum. ABDOMEN fuscum, apice ſubferrugineum. PE-

PEDES flavi: *femora* mutica. MAGNITUDO: Curc. Majalem vix æquiparat.

LOCUS: habitat in arboribus Scaniæ ſat frequens; in Uplandia rarior.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p.* 119. *N:o* 239. *Curc. Planiroſtris. App.* 11. *p.* 381. *N:o* 161 - 162. *Curc. Fulviroſtris.*

N:o CXVIII.

CURCULIO ROBORIS *a*).

Oblongus rufo-flavus glaber, lævis nitidus, roſtro plano longiore, capitis baſi elytrisque atro-cæruleis.

DESCR. CAPUT: *roſtrum* thorace paulo longius, ſupra infraque planum, rufo-flavum, præſertim apice latum; *antennæ* vix roſtro longiores, baſi tenuiores, rufo-flaveſcentes, apice incrasſatæ, fusceſcentes; *oculi* nigri vix prominuli: *frons* et *nucha* atro-cæruleæ, nitidæ. THORAX ſubrotundus, rufo-flavus, ſubtilisſime confertisſimeque punctatus, poſtice paulo anguſtatus, puncto utrinque majore impresſo. SCUTELLUM nullum. ELYTRA thorace duplo fere latiora et plus duplo longiora, atro-cærulea, nitidisſima, convexa,

a) *Omnes in hac Sectione præcedentes, a Cel.* FABRICIO *generi* ANTRIBI, *a Curculionis diverſo, quodque* roſtro latisſimo ſupra infraque plano, *præcipue diſtinguitur, jure quodam adnumerantur, ſed ego tamen adhuc inter Curculiones, ut ſupra indicavi, has ſpecies indivulſas retinui.*

vexa, oculo armato visa subtilissime puncto-striata. ALÆ hyalino-fuscescentes. STERNUM, ABDOMEN et PEDES ruso-flavescentia: *femora* mutica. MAGNITUDO: præcedenti paulo major.

LOCUS: habitat in quercu minus frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 100. N:o 42. Curc. Roboris.*

LINN. *Syst. Nat 11.. p. 609. N:o 24. Faun. Sv. N:o 595. Curc. Ruficollis.*

DE GEER *Inf. 5. p. 252. N:o 42. Curc. Rostratus.*

OBS. Color atro-cæruleus capitis elytrorumque in æneo-nigrum rarius transit. Ob longitudinem rostri in Sectione sequenti locum obtinere debuit, sed ob summam habitus et staturæ similitudinem cum Curc. Fulvirostri, hic posui. Differt a Curc. Fulvirostri rostro longiore, magnitudine paulo majore, colore, et punctis nullis majoribus elytrorum baseos excavatis.

N:o CXIX.

CURCULIO RHINOMACER.

Oblongus niger cinereo-villosus, rostri basi tereti, apice plano dilatato, antennis pedibusque rufo-testaceis.

DESCR. CAPUT nigrum, villis brevissimis cinerascentibus: ***rostrum*** thoracis fere longitudine, basi teres, apice plano dilatato, sæpius carinula media longitudinali; ***antennæ*** ad apicem rostri insertæ, capitis thoracisque longitudine, rufo-testaceæ, apice paulo crassiores; ***oculi*** nigri, minuti, vix prominuli.

nuli. Thorax niger, villis cinereis undique tectus, ſubtilisſime punctatus, convexo-cylindricus. Scutellum minutisſimum, concolor. Elytra thorace dimidio latiora et plus duplo longiora, nigra, pube cinerea tecta, ſubcylindrica, confertisſime ſubtilisſimeque punctata. Alæ hyalino-fuſceſcentes. Sternum et Abdomen nigra, pube cinerea. Pedes rufo-teſtacei: *femora* mutica. Magnitudo: Curc. Tæniatum æquat.

Locus: habitat in pinetis initio menſis Junii rarius in Uplandia.

SYNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 123. N:o 2. Rhinomacer Attelaboides.*

Var. *β.*

Niger, tomento flavo-cineraſcente.

Locus: habitat cum var. præcedente, cui, colore tomenti excepto ſimillimus.

Obs. A Cel. Fabricio, a Curculionibus ſegregatus et in genus novum ſeu ad *Rhinomacros* amandatus eſt: an jure? antennæ minime ſetaceæ ſunt ut in genere illo esſe debent.

N:o cxx.

CURCULIO Betulæ.

Niger nitidus, capite baſi attenuato, roſtro baſi tereti apice planiusculo, elytris ſubquadratis, femoribus poſticis crasſis.

Descr. Caput nigrum, baſi anguſtatum,

tum, vel quasi collo thoracis junctum, sulculo frontali, oculo armato pili brevissimi cinerascentes conspiciuntur; *rostrum* longitudine dimidii circiter thoracis, basi subteres, apice planiusculum dilatatum; *antennæ* extrorsum crassiores, longitudine capitis; *oculi* vix prominuli. THORAX niger, punctatus, convexus, antice paulo angustatus et capite vix latior; *oculo* armato pili brevissimi grisescentes se sistunt. SCUTELLUM minutum concolor. ELYTRA thorace fere duplo latiora et longiora, subquadrata, nigra, planiuscula, punctato-striata, oculo armato se præbent pili brevissimi grisescentes. ALÆ longiores, hyalino-fuscescentes. STERNUM, ABDOMEN et PEDES nigra: *femora* postica valde incrassata, inermia. MAGNITUDO: Curc. Avellanæ quintuplo minor est sed eadem statura.

LOCUS: habitat in Betula alba.

SYNON. FABR. *Mant. Ins. p. 124. N:o 12. Attelabus Betulæ.*
LINN. *Syst. Nat. 11. p. 620. N.o 7. Faun. Sv. N:o 640. Attelabus Betulæ.*
DE GEER *Ins. 5. p. 259. N:o 47. Curc. Excoriato-niger.*

N:o CXXI.

CURCULIO AVELLANÆ.

Lævis niger, rostro brevissimo sulcato, capite ovato basi angustato, elytris rubris depressiusculis.

DESCR. CAPUT nigrum, ovatum, basi angu-

anguſtatum, vel quaſi collo longiore thoraci junctum, lineola longitudinali frontali impresſa; vix oculo armato cernitur punctulatum: *roſtrum* brevisſimum, vix dimidia thoracis longitudine, crasſum, ſubteres, ſulculo longitudinali; *antennæ* medio roſtri inſertæ, articulo primo reliquis vix longiore, apice incrasſatæ, fuſceſcentes, vix capite longiores; *oculi* prominuli. THORAX niger, ſumma baſi rubra, capite ſere brevior, et vix latior, lineola dorſali impresſa, convexus, antice parum anguſtatus, oculo etiam armato vix punctulatus cernitur. SCUTELLUM magnum, nigrum. ELYTRA thorace plus duplo latiora et triplo ſere longiora, depresſiuscula, ſubquadrata, leviter punctato-ſtriata, rubra, apice rotundata, dehiſcentia. ALÆ hyalino-fuſceſcentes. STERNUM nigrum. ABDOMEN ſupra flavum, ſubtus nigrum. PEDES nigri; *femora* ſubclavata, mutica. MAGNITUDO: varietate α Curc. Populi vix major.

LOCUS: habitat in foliis Coryli Avellanæ.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 124. N:o 1. Attelabus Coryli.*
LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 619. N:o 1. Faun. Sv. N:o 638. Attel. Coryli.*
DE GEER *Inſ. 5. p. 257. N:o 56. Curc. Excoriato-ruber.*
SCHÆFF. *Icon. t. 56. f. 5 et 6.*

VAR. β.

Niger, thorace, elytris femoribusque rubris.

LOCUS: habitat cum var. præcedente, cui ſimillimus.

SYNON. LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 619. N:o 2. Attelabus Avellanæ.*

N:o CXXII.

CURCULIO NITENS.

Lævis niger, thorace elytrisque rubris nitidis, capite cylindrico, roſtro longitudine capitis.

DESCR. CAPUT nigrum, cylindricum, thorace duplo fere anguſtius; *roſtrum* craſſum, apice parum dilatatum, longitudine dimidii thoracis; *antennæ* capite fere longiores, baſi rufeſcentes, apice incrasſatæ nigræ: *oculi* prominuli. THORAX ruber, nitidus, convexus, antice anguſtatus, poſtice longitudine latior. SCUTELLUM magnum nigrum. ELYTRA thorace paulo latiora et dimidio longiora, quadrata, valde convexa, rubra, nitida, ſubtilisſime punctato-ſtriata, apice rotundata, dehiſcentia. ALÆ hyalino-fusceſcentes. STERNUM nigrum. ABDOMEN dorſo rufeſcens, ſubtus nigrum. PEDES nigri: *femora* ſubclavata, mutica, interdum, præſertim in anterioribus, macula vel annulus ruber. MAGNITUDO: præcedente paulo minor.

LOCUS: habitat in Scania in fol. Quercus, quæ contorquet.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 124. N:o 6. Attelabus Curculionoides.*
LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 619. N:o. 3. Attelabus Curculionoides.*
SULZER *Geſch, t. 4. f. 12. Der kleine Nuſsbeisſer.*
SCOPOLI *Ent. Carniol. N:o 72. Curc. Nitens.*

OBS. Binas ſpecies præcedentes cum Curculionibus Sectionis ſequentis *Curc. Nitens* optime conjungit, nec

nec in illum quadrat character genericus ATTELABORUM LINNÆI: caput enim postice minime attenuatum est, sed omnino ut in sequentibus Curculionibus.

SECTIO SECUNDA:

Longirostres.

N:o CXXIII.

CURCULIO POPULI.

Viridi-auratus lævis nitidissimus, thorace alterius sexus spinoso, elytris subquadratis.

DESCR. CAPUT viridi-auratum, subtilissime confertissimeque punctatum: *rostrum* teres, apice paulo incrassatum, thoracis longitudine, in altero sexu, qui thorace spinoso gaudet, paulo longius; *antennæ* nigræ, rostro longiores, apice crassiores; *oculi* nigri, immersi; *fronti* inter oculos punctum impressum. THORAX subtilissime punctatus, convexus, lineola longitudinali, viridi-aureus, nitidissimus, certo situ lateribus purpurascentibus, in altero sexu paulo latior et antice in utroque latere spinula acuta. SCUTELLUM viridi-aureum. ELYTRA thorace duplo latiora et dimidio longiora, subquadrata, viridi-aurea, nitidissima, confertissime punctulata, subdepressa, obtusa, lateribus certo situ subpurpurascentibus, ALÆ amplæ, fuscescentes. STERNUM et ABDOMEN viridi-aurea, nitidissima, sæpius certo situ purpurascentia.

Pedes viridi-aureo-purpurafcentes: *femora* mutica. Magnitudo: Curc. Scrophulariæ paulo major.

Locus: habitat frequens in Betula, Populo, Alno.

SYNON. Fabr. *Mant. Inf. p. 99. N:o 30. Curc. Betulæ.*
Linn. *Syft. Nat. 11. p. 619. N:o 39. Faun. Sv. N:o 605. Curc. Betulæ.*
De Geer *Inf. 5. p. 248. N.o 36. Curc. Betulæ.*

Var. β.

Violaceus nitidisfimus, antennis nigris, oculis fuscis.

Locus: ad Umoam in Bothnia occidentali rarius reperi.

SYNON. Schrank *Inf. Auftr. p. 104. N:o 198. Curc. Violaceus.*
Schæff. *Icon. t. 6. f. 4.*

Obs. Magnitudine, habitu et ftatura var. præcedenti fimillimus.

Var. γ.

Supra viridi-aureus nitidisfimus, fubtus violaceus, antennis nigris.

Locus: habitat cum var. α frequens.

SYNON. Fabr. *Mant. Inf. p. 99. N:o 31. Curc. Populi.*
Linn. *Syft. Nat. 11. p. 611. N:o 40. Faun. Sv. N:o 606. Curc. Populi.*
De Geer *Inf. 5. p. 447. N:o 37. Curc. Populi.*

Obs.

Obs. Varietatibus præcedentibus paulo minor, fed cum illis ftatura et habitu omnino fimillimus fit, et hæ varietates promifcuæ inveniantur, eas fpecie feparare non aufus fum, id licet fuaferit aliorum auctoritas.

N:o CXXIV.

CURCULIO Bacchus.

Aureo-purpurafcens nitidisfimus, villis rarioribus grifeis erectis, roftro longisfimo, antennis tarfisque nigris, elytris fubquadratis.

Descr. Caput aureo-purpurafcens, punctulatum, pilis brevioribus erectis grifeis: *roftrum* elytrorum fere longitudine, rectum, cylindricum, apice vix incrasfato, nigrum; *antennæ* nigræ, longitudine roftri; *oculi* fusci. Thorax aureo-purpurafcens, nitidisfimus, pilis rarioribus erectis grifeis, punctulatus, femper muticus, fubcylindricus, lineola longitudinali nulla. Scutellum minutum, concolor. Elytra thorace duplo fere latiora et dimidio longiora, aureo-purpurafcentia, nitidisfima, fubquadrata, fubtilisfime temere punctulata, depresfiuscula, obtufa, pilis rarioribus erectis grifeis. Alæ longiores, fufcefcentes. Sternum et Abdomen aureo-purpurafcentia. Pedes aureo-purpurafcentes: *femora* mutica; *tarfi* nigri. Magnitudo: varietate α præcedentis paulo major.

Locus: habitat in Svecia auftrali rarior; in Europa auftraliori frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 99. N:o 29. Curc. Bacchus.*
LINN. *Syft. Nat. 11. p. 611. N.o 38. Curc. Bacchus.*
DE GEER *Inf. 5. p. 250. N:o 38. Curc. Purpureus.*

OBS. Femina femper minus purpurafcens. Differt a Curc. Populi, cui ftatura et habitū fimilis, corpore villofo, fronte haud impresfa, thoraceque femper mutico. Synonymia Illuftr. DE GEERII loco citato omnino fallit: minime enim eft *Curc. Purpureus* LINNÆI, qui vix a *C. Frumentario* differre videtur, et *Le Becmare doré à etuis rouges* de GEOFFROY, cum *Curc. Æquato* fpecie procul dubio convenit.

N:o CXXV.

CURCULIO CUPREUS.

Obfcure æneus, fubtus obfcurior, pilis rarioribus grifefcentibus, roftro mediocri, elytris fubquadratis profunde puncta-to-ftriatis.

DESCR. CAPUT æneo-nigrum, grifeo-fubpubefcens: *roftrum* fæpius totum, interdum apice modo nigrum, thorace paulo longius, tenue, teres, apice vix incrasfatum; *antennæ* nigræ, roftro paulo longiores, apice incrasfatæ; *oculi* immerfi nigri. THORAX obfcure æneus, interdum fubpurpurafcens, tenuisfime grifeo-pubefcens, convexus, punctis minutisfimis confertisfimis, antice parum anguftatus. SCUTELLUM minutum, concolor. ELYTRA thorace duplo fere longiora et latiora, fubquadrata, profunde punctato-ftriata, obfcure ænea, interdum fubpurpurafcen-

ſcentia, pube tenuisſima rara griſeſcente. ALÆ fusceſcentes. STERNUM, ABDOMEN et PEDES, nigro-ænea: tarſi nigri: *femora* mutica. MAGNITUDO: var. γ Curc. Populi vix minor.

LOCUS: habitat in Sorbo Aucuparia ſat frequens in Uplandia.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 100. N:o 34. Curc. Cupreus.*

LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 608. N:o 21. Faun. Sv. N:o 593. Curc. Cupreus.*

N:o CXXVI.

CURCULIO ÆQUATUS *a*).

Obſcure æneus, pilis rarioribus brevisſimis griſeſcentibus, roſtro longisſimo, elytris ſubquadratis punctato-ſtriatis rubris.

DESCR. CAPUT obſcure æneum, pube rariore brevisſima griſeſcente: *roſtrum* tenue, longitudine fere corporis, incurvum, apice vix incrasſatum; *antennæ* fuscæ, extrorſum crasſiores, roſtro fere breviores; *oculi* minuti, prominuli, nigri. THORAX ſubcylindricus, ſubtilisſime punctatus, obſcure æneus, pube tenuisſima griſeſcente. SCUTELLUM minu-

a) *Cel.* FABRICIUS *me litteris certiorem fecit ſibi in animo esſe omnes ſpecies a N:o* CXX *usque ad* CXXVI *incluſive, ad genus* ATTELABI *in editione ſui Syſtematis proxima transferre. Habitu quidem illæ omnes valde ſimiles ſunt, an vero a ſequentibus Curculionibus genere naturali ſatis diſtinctæ?*

nutum, rubrum. ELYTRA thorace latiora et fere duplo longiora, ſubquadrata, punctato-ſtriata, rubra, pube tenuisſima griſeſcente. ALÆ amplæ, albo-hyalinæ. STERNUM, ABDOMEN et PEDES obſcure æenea: *femora* mutica. MAGNITUDO: præcedentem ſæpius æquiparat.

LOCUS: habitat in Salice rarius.

SYNON. LINN. *Syſt. Nat. II. p. 607. N:o 9. Curc. Æquatus.*
GEOFFR. *Inſ. t. I. p. 270. N:o 4. Le Becmare doré à etuis rouges.*

VAR. β.

Obſcure æneus, elytris rufo-flavis, ſutura baſi nigra.

LOCUS: habitat cum var. præcedenti, cui ſimillimus.

N:O CXXVII.

CURCULIO NANUS.

Oblongus cyaneus lævis nitidus, roſtro mediocri recto, thorace elytrisque cylindricis.

DESCR. CAPUT cyaneum, nitidum: *roſtrum* thorace paulo longius, teres, apice vix incrasſato; *antennæ* roſtro parum longiores, nigræ, extrorſum crasſiores; *oculi* vix prominuli, fuſci. THORAX cyaneus, nitidus, convexo-cylindricus, ſubtilisſime punctatus. SCUTELLUM omnino minutisſimum, concolor.

ELY-

Elytra thorace dimidio latiora et duplo fere longiora, cyanea, convexo-cylindrica, ſubtilisſime punctato-ſtriata. Alæ longiores, hyalinæ, parum fuſceſcentes. Sternum, Abdomen et Pedes cyanea, ſæpe reliquo corpore paulo obſcuriora: *femora* ſubclavata, inermia. Magnitudo: Curc. Bipunctato paulo minor.

Locus: habitat in plantis minus frequens.

Obs. Statura oblonga cylindrica minime gibba a reliquis hujus Sectionis Curculionibus colore ei ſimilibus optime dignoſcitur. Oculo bene armato vix pilis rarioribus cineraſcentibus, parcius adſperſus obſervatur.

N:o cxxviii.

CURCULIO Pruni.

Oblongus niger lævis opacus, roſtro brevi tereti recto, antennis ſubferrugineis, thorace bituberculato.

Descr. Caput nigrum, opacum: *roſtrum* teres, rectum, vix thoracis longitudine ut auctoribus invitis ad ſectionem præcedentem forſan pertineat; *antennæ* ſubferrugineæ, capite paulo longiores, extrorſum crasſiores, fuſceſcentes; *oculi* majores, fuſci, parum prominuli. Thorax niger, opacus, ſubtilisſime punctatus, antice parum anguſtatus, in medio tuberculo utrinque laterali elevato. Scutellum minutum, concolor. Elytra thorace paulo latiora at plus duplo longiora, nigra, opaca, convexo-cylindrica, profunde

punctato - striata. ALÆ longiores, hyalino-fuscescentes. STERNUM, ABDOMEN et PEDES nigra, opaca: *femora* mutica. MAGNITUDO: Curc. Granarium æquiparat.

LOCUS: habitat in foliis Cerasi: in Hyssopo officinali auctumnali tempore plures inveni.

SYNON. FABR. *Mant. Ins. p. 100. N:o 38. Curc. Pruni.*
LINN. *Syst. Nat. 11. p. 607. N:o 12. Curc. Pruni.*

N:o CXXIX.

CURCULIO VERNALIS.

Ferrugineus, pilis brevissimis cinerascentibus, rostro mediocri subincurvo, elytris subovatis: fasciis duabus glabris; pedibus testaceis.

DESCR. CAPUT ferrugineum, pube tenuissima cinerea: *rostrum* longitudine thoracis, subincurvum, teres; *antennæ* fusco-ferrugineæ, longitudine capitis: *oculi* parum prominuli, nigri. THORAX ferrugineus, pube rariore grisescente, antice parum angustatus. SCUTELLUM omnino minutissimum. ELYTRA thorace duplo longiora, et in medio duplo latiora, convexa, ovata, punctato - striata, ferruginea, cinereo - pubescentia, fasciis duabus transversis nudis, quarum altera in medio, obliqua, altera magis ad apicem, undulata. ALÆ albidæ. STERNUM et ABDOMEN rufo-ferruginea, pube cinerascente. PEDES lon-

longiores, teſtacei: *femora* mutica. MAGNITUDO: Curc. Pineti fere minor.

LOCUS: habitat in Urtica urente primo vere et tempore auctumnali.

N:o CXXX.

CURCULIO FRUMENTARIUS.

Sanguineus opacus oculis nigris, roſtro mediocri craſſiuſculo, elytris ovatis punctato-ſtriatis.

DESCR. CAPUT ſanguineum: *roſtrum* longitudine thoracis, craſſiuſculum, teres, ſubincurvum; *antennæ* longitudine roſtri, apice incraſſatæ; *oculi* nigri, minuti, prominuli. THORAX ſanguineus, ſubcylindricus, antice vix anguſtatus. SCUTELLUM minutum, concolor. ELYTRA thorace duplo longiora et in medio duplo latiora, ſanguinea, ovata, punctato-ſtriata. ALÆ corpore longiores, albo-hyalinæ. STERNUM, ABDOMEN et PEDES ſanguinea: *femora* mutica. MAGNITUDO: variat a Curc. 5-maculati fere magnitudine ad duplo minorem.

LOCUS: habitat in frumento diutius aſſervato. In flor. Ægopodii Podagrariæ etiam captus.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 102. N:o 66. Curc. Frumentarius.*

LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 608. N:o 15. Faun. Sv. N:o 586. Curc. Frumentarius.*

DE GEER *Inſ. t. 5. p. 251. N:o 48. Curc. Sanguineus.*

OBS. Oculo bene armato pubes cineraſcens breviſſima obſervatur.

N:o

N:o CXXXI.

CURCULIO Craccæ.

Niger opacus, pube rara brevisſima cineraſcènte, roſtro ſubulato apice valde anguſtato, elytris ovato-ſubgloboſis.

Descr. Caput nigrum: *roſtrum* longitudine thoracis, baſi crasſiusculum, a medio ad apicem abrupte attenuatum; *antennæ* longitudine roſtri, primo articulo ſubferrugineo; *oculi* prominuli. Thorax niger, opacus, pube tenuisſima rara cineraſcente, convexus, punctulatus, antice ſubanguſtatus. Scutellum omnino minutisſimum, concolor. Elytra thorace vix duplo longiora, at in medio duplo latiora, ovato-ſubgloboſa, nigra, opaca, punctato-ſtriata; in interſtitiis ſtriarum pili brevisſimi cineraſcentes. Alæ longiores, albo-hyalinæ. Sternum et Abdomen nigra, opaca, pube rara brevisſima cineraſcente. Pedes nigri: *femora* mutica. Magnitudo: latitudine Curc. Bipunctati ſed brevior.

Locus: habitat in Viciæ Craccæ ſeminibus.

SYNON. Linn. *Syſt. Nat. 11. p. 606. N:o 6. Curc. Craccæ.*

De Geer *Inſ. 5. p. 253. N:o 43. t. 6. f. 31-32. Curc. Viciæ.*

Obs. Elytra rarius atro-cæruleſcentia. Roſtro ſubulato apice valde anguſtato a ſequentibus optime digno-

noſcitur. *Curc. Craccæ* Fabricii, ut antea monuimus, *Curculio Hypoleucus* esſe videtur.

N:o cxxxii.

CURCULIO Punctiger.

Niger lævis, roſtro tereti mediocri ſubincurvo, elytris globoſis punctato-ſtriatis atro-cæruleis.

Descr. Caput nigrum: *roſtrum* thorace paulo longius, teres, incurvum; *antennæ* longitudine vix capitis; *oculi* minuti, ſubimmerſi. Thorax niger, teres, punctatus, antice valde anguſtatus, vix capite latior. Scutellum nullum. Elytra thorace dimidio longiora, et duplo latiora, nigro-cærulea, nitida, punctato-ſtriata, maxime gibba ut fere globoſa ſint. Alæ longiores, albo-hyalinæ. Sternum, Abdomen et Pedes nigra: *femora* ſimplicia. Magnitudo: præcedentem æquiparat.

Locus: habitat in arboribus minus frequens.

N:o cxxxiii.

CURCULIO Lævigatus.

Niger lævis, roſtro longisſimo, elytris globoſis atro-cæruleis: ſtriis lævibus.

Descr. Caput nigrum: *roſtrum* thoracis elytrorumque longitudine, tenue, cylindricum, incurvum; *antennæ* roſtro breviores; *oculi*

oculi immerſi. THORAX niger, convexus, punctatus, antice parum anguſtatus. SCUTELLUM nullum. ELYTRA thorace dimidio longiora et duplo fere latiora, atro-cærulea, ſtriis lævibus, valde convexa, ut fere globoſa; antice callo majori in angulo exteriori. ALÆ longiores, albo-hyalinæ. STERNUM, ABDOMEN et PEDES nigra: *femora* mutica. MAGNITUDO: Curc. Craccæ æquiparat.

LOCUS: habitat in Uplandia minus frequens.

OBS. Differt a præcedente, cui magnitudine, colore et ſtatura ſimilis, roſtro longiore, thorace antice minus anguſtato, elytrisque lævibus punctis nullis impresſis. Variat rarius elytris fere nigricantibus reliquo tamen corpore ſemper nitidioribus.

N:o CXXXIV.

CURCULIO ÆNEUS.

Niger, roſtro mediocri, elytris oblongo-ovatis æneis: ſtriis lævibus.

DESCR. CAPUT nigrum: *roſtrum* thorace vix longius, incurvum, cylindricum; *antennæ* roſtro paulo longiores; *oculi* ſubimmerſi. THORAX niger, ſubtilisſime punctatus, cylindricus, vix antice anguſtatus. SCUTELLUM minutisſimum, concolor. ELYTRA vix thorace duplo latiora ſed duplo longiora, convexo-ovata, ænea, nitida, ſtriis lævibus. ALÆ albo-hyalinæ, longiores. STERNUM, ABDOMEN et PEDES nigra: *femora* mutica. MAGNITUDO: latitudine Curc. Craccæ ſed paulo longior.

LOCUS:

Locus: habitat pasſim in Hysſopo officinali, ubi auctumno plures inveni ad prædium Walloxſåby.

SYNON. Fabr. *Mant. Inſ. p. 100. N:o* 36. *Curc. Æneus.*

Var. *β.*

Niger, elytris atro-cæruleis.

Locus: habitat in Carduis Uplandiæ frequens verſus finem menſis Auguſti.

SYNON. De Geer *Inſ. 5. p. 252. N:o 41. Curc. Nigro-violaceus.*

Obs. Varietati *α*, colore elytrorum excepto, ſimillimus. Differt a Curc. præcedentibus abdomine oblongo-ovato, et, (ſi oculo armato inſpicitur,) corpore toto pilis breviſſimis rarioribus cineraſcentibus adſperſo.

N:o cxxxv.

CURCULIO Flavipes.

Niger, roſtro mediocri, thorace ſubcylindrico, elytris ovatis punctato-ſtriatis, femoribus tibiisque flavis.

Descr. Caput nigrum: *roſtrum* thorace paulo longius, cylindricum, incurvum; *antennæ* longitudine vix capitis, baſi ſæpius flavæ; *oculi* ſubimmerſi. Thorax niger, ſubcylindricus, vix antice anguſtatus, ſubtilisſime punctatus. Scutellum minutum, concolor. Elytra thorace vix duplo longiora et latiora, ovata, nigra, punctato-ſtriata. Alæ albo-hyalinæ. Sternum et Abdomen nigra.

gra. PEDES: *femora* mutica et *tibiæ* flava, geniculis interdum nigris; *tarſi* nigri. MAGNITUDO: Curc. Lemnæ dimidio major.

LOCUS: habitat in apricis primo vere frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 102. N:o 63. Curc. Flavipes.*

VAR. β.

Niger, opacus, immaculatus.

LOCUS: habitat cum var. præcedente, cui, magnitudine, habitu et ſtatura, ſimillimus. In foliis Betulæ albæ in Uplandia menſe Julio magnam ejus copiam inveni.

VAR. γ.

Niger elytris atro-cæruleis.

LOCUS: habitat cum var. præcedentibus, quibus omnino ſimillimus, rarior.

OBS. Differt a *Curc. Punctigero*: thorace magis cylindrico elytrisque minus globoſis; a *C. Lævigato*: roſtro breviore et elytris punctato-ſtriatis; a *C. Æneo*: elytris punctato-ſtriatis minus oblongis.



AP-

APPENDIX.

STAPHYLINUS.

N:o 11-12. ST. PLANUS: *niger planus, thorace ſubmarginato antice poſticeque transverſo; elytris, abdomine ſubtus pedibusque rufo-brunneis.*

Deſcr. Caput nigrum, thoracis latitudine: *antennæ* vix capitis thoracisque longitudine, brunneæ, extrorſum craſſiores; *oculi* parum prominuli; *frons* planiuscula. *Thorax* ſubquadratus, antice poſticeque transverſus, ſubmarginatus, vix convexus, ſupra niger: ſummo limbo poſtice rufeſcente; ſubtus jam niger, jam rufeſcens. *Elytra* thoracis latitudine, ſed capite thoraceque paulo longiora, planiuscula, rufo-brunnea: ſummo apice rarius nigro. *Alæ* albo-hyalinæ. *Sternum* nigrum. *Abdomen* ſupra planum, nigrum, ſubtus rufo-brunneum. *Pedes* breviores, brunnei. *Magnitud*: vix varietatem α St. Socialis æquat.

Locus: habitat in Uplandia ſub cortice pinuum. S. TÖRNER.

Obſ. Variat elytris jam paulo obſcurioribus, jam dilutioribus. An *St. Flavipes* LINNÆI? Differt a *St. Sociali*: corpore magis depreſſo, capite latiore, antennis brevioribus, thorace poſtice transverſo et elytris longioribus.

N:o 23-24. ST. MORSITANS: *niger lævis, thorace longitudinaliter uniſulcato elytrorum latitudine.*

Deſcr. Caput magnum, nigrum, thorace paulo latius: *maxillæ* validæ, exſertæ; *antennæ* capite thoraceque breviores; *oculi* magni, prominuli; *frons* rugoſa. *Thorax* niger, longi-

gitudine latior, antice transversus, postice paulo rotundatus, minime vero subcordatus, convexus, glaber, sulculo unico longitudinali impresso. *Elytra* nigro-fusca, thoracis latitudine sed paulo breviora, postice rotundata, dehiscentia, parum convexa; oculo acute armato subtilissime punctata apparent. *Alæ* longiores, albo-hyalinæ. *Sternum* nigrum. *Abdomen* nigrum, vix dimidii corporis longitudine. *Pedes* nigri, rarius rufi vel flavescentes. *Magnitudo*: St. Piceum æquiparat.

Locus: habitat in Uplandia rarius; e Germania a Dom. SCHNEJDER mihi missus.

Obs. Differt a *St. Sulcato* magnitudine triplo majore, antennis brevioribus, et thorace, ratione magnitudinis, latiore.

N:o 45. ST. BRUNNEUS: var. γ. *Totus rufo-brunneus immaculatus.*

Locus: habitat in Uplandia rarior.

Obs. Simillimus varietati α sed duplo major, an specie distinctus? Varietates omnes *St. Brunnei* valde sunt depressæ.

N:o 47-48. ST. BOREALIS: *niger punctatissimus, thorace marginato, elytris longioribus.*

Descr. Caput thorace angustius, nigrum: punctis minutis confertissimis excavatis: *antennæ* dimidio corpore longiores, filiformes; oculo bene armato vix pilis quibusdam brevissimis adspersæ cernuntur; *oculi* parum prominuli. *Thorax* niger, nitidus, anticeposticeque transversus, acute marginatus, punctatissimus, in *Mare* minus convexus, in *Femina* omnino gibbus. *Elytra* nigra, parcius convexa, thoracis latitudine, capite thoraceque lon-

longiora, punctis minutis temere ſparſis confertisſime excavatis. *Alæ* albo-hyalinæ. *Sternum* nigrum, vix rufeſcens. *Abdomen* elytris dimidio longius, nigrum, ſubtus vix rufeſcens. *Pedes* nigro-rufeſcentes. *Magnitudo*: *Mas St. Tecto* major eſt, a quo etiam differt antennis haud hirtis, elytris abdomen minus obtegentibus punctisque profundioribus. *Femina* magnitudine et fere ſtatura varietatis *α*. *St. Rufipedis*, ſed differt thorace convexiore acute marginato, thorace elytrisque punctulatis et penultimo ſegmento abdominis reliquis haud longiore.

Locus: habitat in Bothnia occidentali. Dom. QUENSEL.

SYNON. Monogr. Staphyl. p. 69. St. Tectus var. β.

Obſ. Cum Monographiam Staphylinorum ederem, non niſi unicum individuum Maris hujus ſpeciei male conſervatum habebam, ideoque ad St. Tectum, cui ſatis ſimile erat, referebam, ne ſpecierum numerus nimis augeretur; redeunte autem Domino QUENSEL ex Itinere, in Bothniam occidentalem & Lapponiam, ſuſcepto, inter multa alia, vel nova, vel rarisſima Inſecta, plura etiam utriusque hujus Staphylini ſexus ſpecimina mihi allata ſunt, quorum comparatione certior ſum ſactus illum propriam conſtituere ſpeciem.

N:o 48. ST. TECTUS: adde deſcriptioni: *antennis valde hirſutis*: & *Locus* a pagina 69, ubi mendoſe pone var. *β* impresſus eſt, ad pag. 68 pone varietatem *α* refer.



Carabus [a]).

N:o 22-23. C. Tæniatus: *apterus thorace anguſtiore ſubcordato gibbo nigro, antennis pedibusque lividis; elytris piceo-lividis profunde punctato-ſtriatis.*

Deſcr. Caput ſupra nigrum, glabrum, nitidum, ſubtus rufescens: *palpi* lividi; *antennæ* dimidio corpore longiores, lividæ, pilis paucioribus brevisſimis; *oculi* ſusci, parum prominuli. *Thorax* ſubtus rufescens, ſupra niger, marginatus, ſubcordatus, latitudine dimidio longior: dorſo glabro, lineola longitudinali, punctis ordinariis nullis. *Elytra* thorace duplo longiora & latiora, livide picea, convexa, poſtice rotundata, profunde ſtriata: puncta in ſtriis confertisſima minutisſima, & tria vel quatuor paulo majora, nudis tamen oculis inconſpicua, diſcoidalia. *Sternum* & *Abdomen* rufescentia. *Pedes* lividi. *Magnitudo:* Car. Praſinum æquiparat.

Locus: hab. in Weſtrogothia. Dom. Gyllenhal.

Obſ. Statura aliquo modo eſt *Carabi Excavati*, ſed differt colore, magnitudine duplo minori, thorace, ratione magnitudinis, anguſtiore, longiore, & punctis ordinariis nullis.

N:o

a) *Dum Deſcriptiones* Caraborum *Suecicæ publicarem, non mihi perſvaſum erat dari ſpecies jam alis inſtructas, jam illis deſtitutas: quapropter in duas Familias, præeunte Ill.* De Geer, *in Carabos ſcilicet* Apteros & Alatos, *omnes diſtribui. Poſtea vero, ut ſupra indicavi, convictus ut natura aliquando ejusdem ſpeciei individuis nunc alas addiderit, nunc ademerit: hac vacillante partiendi methodo rejecta, tutius exiſtimaverim aliam ſequi tractandi rationem, ex Thoracis figura, (qui pari modo variare non repertus eſt), ſubdiviſiones petendo, adeo ut Carabi diſtingui queant* Thorace cordato, rotundato, elongato & ſubquadrato.

N:o 31. C. Nivalis. var. *β. Niger immaculatus.*
Loc. hab. in alp. Lapp. Tornoënſ. D. Quensel.

Obſ. Varietati antea deſcriptæ, colore femorum excepto, ſimillimus. Alium Carabum huic valde ſimilem ex Etruria mihi miſit Cel. Rossi, quem ſub nomine Carabi *Pilicornis* in Fauna ſua Etrusca t. 1. p. 214. N:o 531 deſignavit, nec a noſtro differt niſi magnitudine dimidio majore, & antennis pilis longioribus hirtis, quum in noſtro vix pili breviores obſervantur. Locum vero natalem ſi reſpiciemus, omnino diverſos esſe credo.

N:o 46-47. C. Pelidnus: *niger, ſubtus piceus, antennis pedibusque dilutioribus, thorace marginato latitudine longiore, punctis ordinariis nullis; elytris obſolete ſtriatis margine punctatis.*

Deſcr. Caput ſupra nigrum, ſubtus piceum: *palpi* & *antennæ* dilutiores; *oculi* parum prominuli, fuſci. *Thorax* latitudine longior, ſubtus obſcure piceus, ſupra niger, parum nitidus, convexus, ſubmarginatus; antice truncatus, poſtice paulo anguſtatus, ſubrotundatus, punctis ordinariis nullis. *Elytra* thorace dimidio fere latiora, & plus duplo longiora, nigro-picea, convexa, obſolete ſtriata: punctis discoidalibus nullis, marginalibus plurimis excavatis. *Alæ* amplæ, hyalinæ, nervis flavicantibus. *Sternum* & *Abdomen* picea. *Pedes* ruſo-picei, interdum flaveſcentes. *Magnitudo:* Car. Marginatum æquiparat. *Locus:* habitat in Weſtrogothia. Dom. Gyllenhal.

SYNON. Herbst. *Carab. Pelidnus.*

Obſ. Differt a *Carab. Picipede*, cui affinis, magnitudine majori & thorace magis elongato punctis ordinariis nullis.

N:o 61. C. Truncatellus: adde deſcriptioni: *Apterus.*

N:o

N:o 72. C. Alpinus: *a*) *niger, thorace punctis ordinariis bilobis, elytris striato-punctatis rufo-ferrugineis, margine nigro, pedibus rufescentibus.*

Descr. Caput breve, crassum, nigrum: *antennæ* basi ferrugineæ: *Thorax* niger, lineola longitudinali punctisque ordinariis levioribus utrinque bilobis. *Elytra* thoracis latitudine, rufo-ferruginea, subtilissime punctato-striata: summo margine omni, anteriore excepto, nigro; margine exteriore postice punctis vix distinctis majoribus. *Sternum* & *Abdomen* nigra. *Pedes*: *femora* subclavata, & *tibiæ* rufo-ferruginea, rarius flavescentia; *tarsi* fuscescentes. *Magnitudo:* Car. Proteum æquiparat. *Loc.* hab. in alpibus Lapponicis & Dalecarlicis.

Var. β.

Niger, elytris rufo-ferrugineis, margine concolore, pedibus piceis.

Locus: hab. cum præcedente, cui simillimus, rarior. A me antea in Monogr. Caraborum pro *femina* varietatis præcedentis reputatus.

Var. γ.

Niger, pedibus flavescentibus.

Locus: hab. cum præcedentibus, quibus, colore excepto, simillimus, frequentissimus ad

E-

a) *Reportante ex Itinere suo, Insectorum Lapponiæ felicissimo Investigatore, Dom.* Quensel, *magnam hujus speciei copiam cum pluribus varietatibus, occasio mihi oblata est comparationem inter eas instituendi, descriptionemque antea datam hocce modo emendandi.*

Enonteckis, die ſub ſaxis latitans, noctu gramina petens.

Obſ. Pedes jam magis flavi, jam magis ferruginei.

VAR. *δ.*

Niger, pedibus elytrisque, margine excepto, flavo-rufis.

Locus: hab. minus frequens cum præcedentibus: forſan junior.

Obſ. Inter varietates has omnes & mares & feminæ occurrunt, & omnes invicem ſe copulis jungunt. Differt a Car. Proteo: thorace punctis ordinariis bilobis, & elytris punctato-ſtriatis, a Car. Bicolore, cui etiam ſimilis, differt loco natali, magnitudine, margine poſtice haud distincte punctato.



EMENDANDA.

Pag. 14.	Lin.	26.	*Lege* nigris.
— 32.	l.	17.	*l.* elytrorumque
Ibid. -	l.	18.	*l.* albis.
— 33.	l.	3.	*l.* pubefcentia cinereo-flavicante
— 47.	l.	3.	Phalangem *l.* Sectionem
— 50.	l.	penult.	*l.* lente
— 56.	l.	24.	*inter* brevisfimis & virefcentibus *adde* fufcefcentibus, linea dorfali unaque utrinque laterali pilis brevisfimis
— 60.	l.	22.	rufæ
Ibid. -	l.	16.	fubtus, caput
— 62.	l.	18.	*pone* duplo *adde* latiora
— 80.	-	-	*adde fynonymis*: BONSD. *Curc. p. 38. N. 32. C. Liguftici.*
— 112.	l.	ult.	*l.* thorace
— 114.	l.	22.	*pone* mediocribus, *dele*, antennis.
— 117.	l.	24-25.	*l.* poftico
— -	l.	15.	dele *Curc.*

Hæc & leviora nonnulla, pro fuo favore excufet, & ipfe corrigat Benevolus Lector.